

Dr. Brabf

DE CAUSA QUEÆ FINIS DICITUR

APUD

PLATONEM ET PLOTINUM

CUM LOCIS EXCERPTIS

Auctore P. MABILLE.



DIVIONE

E TYPIS E. JOBARD

1879

FLAVIANI GUIBERT

MEMORIAE

DE CAUSA QUÆ FINIS DICITUR

APUD

PLATONEM ET PLOTINUM

Vere scire, per causas scire.

(BACON.)

I.

DE FINE APUD PLATONEM.

I. — *Aristoteles Platonem de fine omissso reprehendit.*

Aristoteles, licet eruditione mira et perspicaci ingenio præstiterit, haud animadvertit vel potius animadvertere noluit Platonem suis variis in operibus omnes naturalium rerum causas et fines considerasse et probasse. Hæc enim apud illius *Metaphysicam* invenimus (1) : « Plato de propositis rebus ita determinavit; claret autem ex dictis quod solum duabus causis utitur, ea quid est appellata et ea quæ secundum materiam est. » Hoc etiam adjecit (2) : « Quod igitur de causis et quot et quales sint, bene determinatum est, illi quoque omnes nobis videntur testari non posse aliam attingere causam. »

II. — *Hanc Aristotelis sententiam Alexander Aphrodisæus non accipit.*

Hæc autem censura Alexandro cognomine Aphrodisæo, qui tamen Aristotelis commentator illustrissimus habet, adeo immerita visa est ut, eam demirans, declaraverit (*Schol.*, 553) non solum movendi causam sed etiam finis et propositi rationem apud Platonis dialogos reperiri posse dixeritque philosophum stagyriten, quum Platonem omnino naturæ scientiam subvertisse contendisset, falsum putasse.

III. — *Exponitur quid propositi habeamus.*

Nos vero propositum habemus ostendendi quam saepe, quam lucide Plato de finis notione disseruerit vel presse declarando quæ sint hujus vis et natura, vel eam discernendo a causa movendi casuque fortuito, vel hujus in natura et hominum operibus vestigia indicando, vel eam argumentis et consequentibus variis confirmando. Deinde nostram disquisitionem confidentes, quemadmodum Plotinus (princeps eorum qui novi platonici vocantur) hanc eamdem notitiam conceperit eaque usus erit, exponemus, nobiscum ipsi querentes sapientiusne eam cognitionem adhibuerit quam Plato, mutaveritque eam in melius aut deterius.

IV. — *Explicatur quid sit finis.*

Non inutile profecto erit, priusquam de re exposita disserere incipiamus, nos breviter definiendo explicare quis sit finis, quod sit hujus in omni doctrina momentum.

Ubi cumque apparet quidam ordo et simul partium

congruentia certaque ratio, ibi significatur aperte quidam finis, deinde susceptum consilium nec non ars callide parata; inde quoque prudens intelligentia nobis declaratur. Hæc omnia strictissime et aptissime cohærent. Ergo, si quis partium convenientiam profitebitur, hujusque finem notum habebit, tunc etiam quedam aut hominem aut Deum intelligentia præditum agnoscat.

V. — *In Phædone Socrates ab Anaxagorā frustra petit quis sit rerum finis.*

Plato, quum Socratis insisteret vestigiis, physicam quasi dedignabatur, quippe quæ maxime solam motus rationem quærat et contineat nec satis de fine curam habeat. Est enim in *Phædone* locus saepe memoratus ubi Socrates se, quum aliquem pervolvere librum qui ab Anaxagora scribi putaretur, audivisset, gaudium percepisse refert. Namque in hoc libro rerum ordinatrix et princeps intelligentia haberri dicebatur: « Ego certe, inquit Socrates, putabam intelligentiam ordinantem omnia et singula secundum optimam rationem disposuisse et instruxisse. » (3) Quis enim in homine ossa et musculos, non autem consilium et optimi electionem, agere velle contenderet? Socrates ergo Anaxagoram hunc magistrum fore qui cuncta explicate sciret, putabat. Sibi persuadebat Anaxagoram, si terram esse planam aut rotundam inter alias res diceret, tum causam cur potius rotunda quam plana dimensione terram affici censeret, verbis explanaturum esse; non enim vere scire est nisi per finem scire. Habebat quoque in animo de sole ex Anaxagora sciscitari, rogitarus quid illorum siderum momenta sibi vellent. Quam mea spes delusa fuit! subjicit Socrates. « Namque eum nullo modo in rebus physicis

explicandis interponere intelligentiam sensi : neque ullam rerum concordiae causam quærebatur ; haud vero aliam esse quam aerem aut æthera aut aquam multasve incredibiles hujusmodi res causam constituebat. » (4) Vox præclara philosophoque dignissima !

VI. — *Hanc Socratis censuram Anaxagoras non meruisse nobis videtur.*

Illud tamen Socratis verbum nos mirantes facit, quippe Anaxagoræ a philosophis attribuitur convenientiam rerum forte fortuna fieri negavisse. Hanc certissime censuram magis illi qui ionici philosophi vocantur, commeruerunt. Ardebat scire quid omnium sit principium, at, sua ipsa meditandi ratione inducti, a proposito paulatim inscii deflexerunt, et ad id ut elementa naturæ corporea indicarent et numerarent, pervenerunt. Ipsi quam late pateret ea quæstio, male videbant.

Sed, ne moremur in his ultra quam satis est, notare licet id e citato *Phædonis* loco sequi, scilicet ut philosophus neque in causa secundum materiam neque in causa motus consistere et immorari debeat.

VII. — *Hoc in PHÆDONIS loco motum a fine Plato discernit.*

Hac in utraque causa nihil aliud appetit quam res extensa figurataque vel mutatio et violentiæ impetus ; in fine autem animi ratio facile detegitur. Motus est vis agilis ; finis autem proprius intelligentiæ est. Motus mutat, finis alit opus. Plato igitur, quum Socratem de optimi notione disserentem nobis producit, certe suam ultra motum mentem extollit : de principe causa agitur. Primas enim

partes motus non tenet ; necessario ad aliquid tendit et spectat ; non sibi ipsi sufficit ; de illo quæritur quis sit illius finis quaque mente efficiatur.

VIII. — *Dicit quoque in PHILEBO quædam non per se subsistere sed ad aliquid tendere.*

Hoc etiam in *Philebo* proponitur. « Refert, inquit Socrates, ut tum quæ per se subsistunt et semper sui juris sunt, tum quæ sine ulla intermissione quidquam aliud expetunt, discernere velis. Illis sanctitas inest ; hæc vero illis indigent ; altera fiunt propter aliquid ; altera sunt illa propter quæ res ceteræ eveniunt. » (5) Hic apparet quam Plato movendi rationem, id est externam finis speciem, considerare non satis habuerit. Abest ut imitetur « plerosque hominum qui nocturno quasi itinere viam prætentant. » (6)

IX. — *Reprehendit etiam Empedoclem et Anaximenem de fine omissio.*

Neque enim Platoni rerum elementa veræ causæ videntur. Quidem certe Empedocles satis alte in disquirendis causis assurrexisse credidit, quod « terram in turbine versari et sub cœlo locatam stare docuerit. » (7) Postea fuit Anaximenes « qui latæ vastæque magidis affici forma terram concepit eamque in aere fundari dixit. » (*Idem.*) Sed isti philosophi nihil ultra speciem sensibilem videbant neque hujus dispositionis finem quærebant. Non satis proprias in mundo partes tum necessitatí tum rationi accurata divisione conati sunt assignare : quod Socrati Platonique displicet.

X. — *In Timæo necessitas ab intelligentia discernitur.*

Plato contra in *Timæo* eas partes præcise oppositas nobis ostendit : « Sequitur universum ex opere duplii tum necessitatis, tum intelligentiæ. » (8) Deinde omnia poetice fingens ille philosophus præstantem necessitatì intelligentiam illique suadentem ut optima ratione res cunctas conformet, nobis proponit ; cui consilio quum accesserit necessitas, ita mundus ab initio constitutus fuit. Claret hanc quidem necessitatē e natura ignis, aquæ, aeris et terræ constare, intelligentiam autem rebus sua exemplaria imponere et omnia ad finem per propriam et supremam potentiam adducere. Claret quoque necessitatē causas efficientes esse quibus omnia moventur et producuntur, etsi omnium plane et absolute rationem reddere nequeant. Namque eis finis causam adjicias oportet. Notemus quoque Platonem has duas præsensisse causas non secum pugnare : movendi causa superiore quadam re ad ipsum motus effectum caret ; si finis deerit, vis impotens et iners subsistet. Ea quæ sensibus percipiuntur, mobilia sunt ; generantur et fiunt. Hæc autem generatio a fine ad quem progreditur dependet : moveri ergo non satis est.

XI. — *In SOPHISTA quoque Plato ad finem spectat.*

In *Sophista* quoque Advena a Theetete petit oporteatne intra vulgi opinionem consistere, quippe cui omnia animalia « machinali modo et cæca vi generari videantur. Anne contra nobis illam causam ratione præditam esse divinaque scientia placebit ? » (9) His verbis neque in materia neque in movente vi rationem et intelligentiam

inesse claret. Spectabat igitur Plato ad causam finem quemdam sibi proponentem et corpora motasque res sapienter gubernantem.

XII. — *Quæramus quomodo finem Plato adhibuerit.*

Nunc operæ pretium erit disquirere quomodo finis causam Plato adhibuerit. Quod certe grave est, namque ita apparebit quale sit hujus notionis apud illius dialogos momentum. Ut ratione et via procedat dissertatio, nos videre oportet finem humanis operibus attributum. Hoc enim humana mens de fine dicit initium : a sibi scilicet orditur, nam nos ipsi agendo propositum nobis destinamus.

XIII. — *In PHILEBO disputatur de fine apud hominem.*

Sic in *Philebo* Protarchum rogit Socrates : « Dicisne navium fabricationem propter naves an propter fabricationem naves fieri ? » (10) Eo plus valet illud exemplum quo effectus magis præcise a causa distinguitur ; facile perspicitur quomodo alias aliam contineat. Socrates sic ad reliqua pergit : « Ego autem pharmaca atque omnia instrumenta materiamque adhiberi ad aliquid generatum contendo, eodemque modo omnia generata propter omnium essentiam generari. » (11)

XIV. — *Item in GORGIA.*

Item in *Gorgia* Socrates orationem ad Calliclem convertens : « Si pictores, architectos, navium structores intueberis, sine dubio quemque omnia instituto loco componentem videbis ; quisque eorum dat operam ut partes convenient et cohærent usque eo quo apte dispositio for-

maque fiant. Præterea gymnasiarchi medicique de corpore eamdem sequuntur legem. » (12) Hanc vero conclusionem Callicles accipit; tunc Socrates illud in universum præcipit: cujuscumque rei virtus, quum supellectilis, tum corporis sive animi vel animalis, haud fortuito appetet; illa profecto ex rerum rata lege sequitur.

XV. — *Tunc sese extollit ad Deum.*

In *Sophista* vero profectus ab hominum operibus Advena sese extollit ad Deum: « Deus est, inquit, omnium rerum, hominis aliorumque animalium et ignis et aquae fabricator et pater habendus, ea ratione qua nostram artem per architecturam domum, per picturam domus speciem efficeremus. » (13) His verbis ostenditur quam argumenti viam nostra mens, fines interpretando, sequatur.

At in hoc disserendi modo non consistit Plato. Latius quæstio patet: non solum hominis opera sed etiam desideria nostrarumque cupiditatum continua series certum finem indicare illi videntur; ad summum Bonum nostra vota tendunt, « Quod scilicet mens omnis expetit cujusque gratia agit omnia, augurans esse aliquid, dubitans vero non satis comprehendere potest quid hoc sit. » (14)

XVI. — *Ostendit Plato in animi natura futurum etiam finem apparere.*

Attamen in operibus Platonis non satis aperta et consummata de hac re docetur disciplina; sed aliis iter paraverat. Certe progressi sunt ultra Plotinus aliisque recentiores philosophi inter quos Kantius. Quid enim valet istud postulatum apud philosophos insigne quo usus Kantius ad animi

immortalitatem e lege morum naturali assurgit. Ille evi- denter innititur certo fine quem lex morum et simul virtutis conditions denotant. Illæ autem conditions naturam humanam exprimunt et fata sempiternæ vitæ deposcunt. Sed Plato semper hiantibus hominum cupiditatibus et nostræ ad optimum propensioni his locis solummodo in- cumbit.

Ceterum in *Timæo* præstantem animæ naturam exigere et postulare convenientem in futurum fortunam declarat: « Quod ad optimam pertinet animam, Deus eam nobis quasi genium dedit. Summa in arce corporis locatur, ut e terra ad cœlestia regna nos extollat; etenim re ipsa nos divina quædam, non vero terrena, herba sumus. » (15) Vox egregie dicta! Mente enim perfectionem optimi concipimus; cuius speciem absolutam et quæ semper eadem est, intel- ligimus; namque summam virtutem et pulchritudinem comprehendimus. Ille autem qui ad id cogitationis fasti- gium sese erigit, idem suæ originis ita vestigia in se ipso reperit. Hæc ergo declarant finem quo vita hominum tandem consummari possit.

XVII. — *A mentis habitu fatisque ad corporis partes transeamus.*

Jam inde perspicitur quam late pateat illud quod quæ- rere instituimus. Nunc a mentis natura fatisque ad corporis partes earumque congruentiam transeamus. In *Philebo* deprehendere licet Socratem coram Protarcho contendentem causam in omnibus rebus inveniri: « Hæc, inquit, causa nobis dat animum et vitalitatem qua vale- tudo conservatur et reparatur; hæc etiam efficit multas et varias res seu compositiones et structuras seu refec-

tiones. » (16) Quin imo pressior fit distinctio. Invenimus enim in *Theetete* ea quæ sensu quodam sentimus, alio sensu percipi nequire : « Per oculos audire non possumus. » (17) Haud aliter sentiebat noster Ludovicus Racinius ; qui, quum de fine dissereret, his concludebat disputationem :

« Quand pourras-tu comprendre
Que l'œil est fait pour voir, l'oreille pour entendre ? »

Ceterum nunc in *Timæo* (pag. 145, 214, edit. Firm. Did.), quærere oportet quomodo juxta Platonem Deus animum et corpus hominis composuerit. Hac disquisitione facta, sine dubio mirabimur quod Plato de causa finis omissa incusatus fuerit. Contra enim ad hujus notionis abusum in Platone reprehendendum inclinamus, nec immerito.

XVIII. — *In Timæo, dæmones hominis corpus conficiunt.*

Deus in hoc opere mentem humanam conformans nobis fingitur; dæmones autem dant operam ut opus textile cuius ille stamen et licium præparavit, omnino confiant; huic immortali animæ materiam mortalem alligaturi sunt, ita ut quoddam animal vivum et spirans creetur incorruptumque permaneat, et sese per intimam susceptionem alat suique genus propaget. Sic animus quod sibi desit accipit, scilicet sensus corporisque constructionem; his quasi instrumentis ad res externas fit transitus.

Sequitur in hoc *Timæi* loco quædam corporis structura. Hæc quidem non valet apud nos explicatio, neque his singulis quæ de vi creatrice Plato finxit, annuimus. Hæc tam multa verba quibus abutitur et quæ ad hominis mores pertinent, repudiamus; saltem vero expresse dictam finis notionem deprehendere licet.

Hanc suam viam sequens, idem ad alias corporis partes ratiocinationem accommodat Plato. Artuum dispositio motusque dant optimæ nostrum parti facultatem cuncta gubernandi : sic animus imperat. Quando nobis cor salit et trepidat, hanc palpitationem, pulvinaris instar, pulmones excipiunt et cedendo hanc violentiam temperant. Hoc modo cor cui cupido et affectus insunt, rationi prodesse poterit si huic illud per temperatos et perite mitigatos motus favebit; tum rationi cor vim utilem auxiliumque salutare præbebit.

Nunc nostra parvi refert hoc in loco *Timæi* finis notio nem imperite adhiberi : una res gravis est scilicet præsentire quanta vis juxta Platonem in hac notione insit. Enitamus usque in philosophicam Platonis sententiam, inter res poetice dictas fictasque, descendere. Adjicit corpus, quantum ad animum pertinet, quoddam esse curriculum : hoc ille ipse dirigit. Sed, præter hunc immortalem animum et quasi divinam in homine partem, Dii nobis animam mortalem unde violenti nascuntur affectus, ut voluptas et dolor, audacia pavorque, præbuerunt.

XIX. — *Apud Platonem hominis animæ neque eumdem locum neque eumdem finem habent.*

Accedit ut apud Platonem illæ animæ in homine non eumdem locum teneant. « Dii enim, ne cœlestis anima plus quam necesse est foedaretur, animæ mortali quamdam aliam corporis partem sedem indixerunt. Ergo medium inter caput et pectus quemdam isthmum fabricati sunt, scilicet collum quo fit ista separatio. Deinde mortalem animam in pectore, id est in hac parte quæ truncus vocatur, collocaverunt. Quum vero hac in ipsa anima quæ-

dam pars melior aliaque pejor inessent, truncum ipsum bifariam divisorunt. Capitis in propinquuo, præcordia inter et collum, partem animæ virilem et strenuam disposuerunt, ad hunc finem ut, rationi serviens et in unum consulens agensque, cupiditatum desideriorumque seditiones perdomare posset, quum ultro jussis quæ alta ex arce ratio significat, obedire nolunt. Cor ipsum quod venarum est principium et quasi fons unde cuncta in membra cum impetu sanguis se immittit, ut excubaret constitutum est. Oportet enim, animi strenua parte vehementer commota, cor ipsum omnibus corporis membris consilia rationis minasque transmittere. » (18) Non placet nobis nunc quærere an Plato probandus sit quod tres animas esse putaverit; hoc certe nobis animi in unitatem pugnare videtur. Quod vero ad nostram operam pertinet, notare est in hoc loco finis causam expressis verbis enuntiari. Quin etiam plures variique fines cuique animæ et cuique corporis parti attribuuntur.

XX. — *Finis adhuc exprimitur.*

Præterea vocis et oris dispositio, dentes, lingua labiaque eamdem conclusionem faciunt. Hæc sententia sane non obsoleta sed alta judicabitur: « *Il qui nos conformaverunt dentes in ore disposuerunt et linguam, labiaque et id ad duplicum usum; quorum alter magis necessarius est, alter vero præstantior: os aditus fuit ad priorem usum, exitus autem ad posteriorem. Unus ad manductionem pertinet; alter ad illum verborum quasi rivulum spectat; qui pro nostra intelligendi vi e labris profluit et quo nullus melior et pulchrior existit.* » (19) Quam vera et mirabilis oppositio! Hoc in loco finis significatur; duo

fines perspicui simul et vere singulares facile mentibus nostris occurront; per hos intelligentia vitali animæ eviderter consociatur.

XXI. — *Ad universitatem rerum finem deducit Plato.*

Nunc ad universitatem rerum mundique materiam nos procedere placet; scilicet usque ad id finem deduxit Plato. Hæc doctrina in decimo *Legum* libro (pag. 441, edit. Firm. Did.), in *Sophista* (20) quoque invenitur. Sed verba expressiora adhibens Socrates in *Philebo* dicit: « *Utrum dicendum est universum regi ab irrationali quadam temerariaque et fortuita potestate, an contra, quemadmodum majores nostri senserunt, ordine quodam mentis et sapientiae mirabilis gubernari?* » (21) Hæc autem causa animus est quidam cuius vi omne cœlum movetur, e quo omnia gignuntur, conversionesque solis, lunæ et aliorum astrorum exoriuntur. Ea Plato, missis ambagibus, in decimo *Legum* libro præcipit; postea de uno sidere peculiariter disserit.

XXII. — *Explicatur quomodo suum finem sol efficiat.*

Illi placet in sole animam et quasi mentem aliquam versari, quæ consilium et finem solis movendi habeat: « *Disputemus nunc, inquit Atheniensis, de quodam astro, et id agamus ut eadem de omnibus aliis dici possint.* — Clinias: De quo? — Atheniensis: De sole. Illius astri corpus quisque videt; animam autem nemo; idem de eujuscumque animalis anima evenit... At solis anima intus in hoc rotundo corpore est, illudque transmovet, ut nostrum corpus animus occupat. Solis autem anima fit

movendi capax sibi ipsi adjungendo extrinsecus materiam sive igneam sive ætheream, ut quidam putant; aut, ex omni materia sejuncta et soluta, solem alia mirabili potestate dirigit. » (22) Hic finis causa patet, nam si quid ducitur, impellitur, id certissime ad quemdam finem et propositum efficiendum fit.

XXIII — *Brevis repetitio.*

Ergo si quis hæc omnia colliget in unum et eam quæ per illos dialogorum locos proposita fuerit doctrinam uno conspectu comprehendere volet, sibi persuadebit Platonem vel in hominis natura vel in terra nostra, vel etiam in rerum universitate consilium susceptum, voluntatem sapienter constitutam certissimamque rationem nobis indicavisse. Nunc operis nostri munus peragamus. Convenit quærere quonam modo ex his quæ notata sint, suam rationem et doctrinam Plato concluserit et perfecerit. Anne ad vivum et intelligentem et propria præditum conscientia Deum clare et distincte sese tollit?

XXIV. — *Rogatur unde fines apud Platonem veniant.*

Num censem hanc operum naturalium œconomiam formamque ex incerta et cæca ad optimum propensione quæ sane materiæ inhæreret, oriri? Illa quæ jam a nobis relata fuerunt nos præsentire sinunt Platonem non hanc priorem opinionem præcipere. Quod vero amplius et plenius nobis probandum est. Semper apud Platonem de Deo a materia separato agitur; ille vero Deus more humano agit: quod accipiendum non putamus.

XXV. — *Platonis sensu, fines mundi, more humano, efficiuntur.*

In *Timæo* declaratur Deum ingentem molem sensibilium rerum quæ motu cæco et violento impetu agitantur, quasi manu suscipere. « Deinde animum in medio collocatum per totum tetendit. » (23) Quippe nullo modo sine quadam anima intelligentiam apparere posse censebat. « Postea extrinsecus corpori animum circumdedit et totum et perfectum perfectis ex corporibus corpus conformavit. » (24) Quin etiam eodem in dialogo dicitur Deus aquam et aerem inter ignem et terram statuisse. Ex his quatuor elementis mundi concordia et dispositio constat. Imo etiam Plato talia excogitat: « Pro pedibus Deus mundo quemdam ad corporis formam convenientem motum impegit; is motus maxime ad mentem et intelligentiam pertinet. » (25) Tunc omnes mundi partes animatæ factæ sunt et suum officium sua sponte intellexerunt. Haud quidem nobis sententia stat hanc doctrinam omnino approbare; appareat enim vitium quo numini humana forma assignatur; nihil mirum si Plato, quum æquales ejusdem ætatis Deos plurimos colerent, has agendi disponendique mundi rationes divinæ providentiae adscriperit, nam quisque optimus scriptor plura mutuat ab æqualibus quam illis utenda commodat. Sed nemo vocabit in dubium hæc dilucide dicta verba (suscipere, collocat, tetendit, circumdedit, conformavit, impegit), ad quamdam vere personam et a mundo separatam plane spectare.

Deinde ille Deus intelligentia certissime ornatur. Fateor eum, Platonis sensu, non universitatem rerum e nihilo creavisse: quod sane Plutarchus (*de Placitis philosophorum*) aliique auctores haud immerito notaverunt. Attamen

partes et elementa componit : inde quoddam consilium illi assignandum videtur. Tanti operis fabricator dicendus est, et id more intelligentiae conveniente, scilicet persuadendo et alliciendo. Hanc ergo possidet auctoritatem quæ ad animum pertinet ; non vero physicam et cæcam vim nec fatalem impetum adhibet : Deus ita res omnes suscipit et gubernat ut a foedis pulchræ, a malis vero bonæ evadant : hic est divinæ providentiae finis.

XXVI. — *Quæritur quem locum habeat intelligentia sibi fines proponens.*

Postea quærendum est quem locum habeat, quem ordinem occupet apud Platonem intelligentia illa sibi fines proponens ? Scilicet primas tenet partes : quod in decimo *Legum* libro aperte declaratur. Namque ibi hoc dicit Atheniensis Cliniæ : « Opinio, præsumptio, intelligentia, ars et leges ante duritiam et mollitiem et gravitatem levitatemque exstiterunt; ad artem quoque pertinent maxima primaque opera, summique labores; igitur quidquid natura genuit et ipsa natura, tempore minora habenda sunt quam ars et intelligentia et infra eas versantur. » (26) Quibus verbis et illa addenda videntur : « Ingenia, mores, voluntates, rationaciones, veræ opiniones, providentia, memoriaque longitudinem, latitudinem, altitudinem corporaliumque vim rerum tempore antecedunt. Ergo omnia quæ in cœlo, in terra, marique versantur, animus gubernat utendo propriis motibus quos voluntatem, animadversionem, præsagitionem, consilium, verum aut falsum judicium, lætitiam fidemque appellamus. Hi vero aliisque hujusmodi motus causæ vere et omnino efficientes sunt. » Sic cœli conversiones et mutationes magnopere intellectuali motui congruunt

ejusque viis et argumentis. Nemo igitur infitias ibit Platonem intelligentiam omnibus rebus haud semel præposuisse ; præterea eam omnia efficere declarat ; dicit quoque eam ante omnia perstare, et cœli terræque nobis regiam habendam esse.

Alium quoque gravem *Philebi* locum proferre volumus quo primæ partes intelligentiae dilucide præbentur. Quum enim Socrates coram Protarcho intelligentiam mundo præesse professus est, addit « eam et causam eidem generi adscribi debere » (28), easque cognitione teneri. Hoc est intelligentiae proprium ; hæc illius est virtus. Sic Protarchus, eodem libro, paulo ante declarat « intelligentiam res omnes gubernare, eamque sententiam mundo, soli, lunæ, sideribus, aliisque cœli motibus considerandis merito congruere. » (29) Ergo concludimus apud Platonem intelligentiam esse causam et id supremo modo, nam quæcumque vere causa principatum obtinet.

Multi sunt autem qui moventem vim etiamque finium seriem in secundariis causis, non in verissimis inesse dicunt. Pendet omnis ille error ex eo quod motus et mutatio oculos hominum feriant, visuque ac specie res æstimentur. Ita, quum ignem, aquam, terram et aerem refrigerari, calescere, cogi, liquefieri videmus, si physica in his effectibus considerandis et in fœderibus naturæ noscendis continebitur, nihil ea nisi secundas causas, adepta erit. Etenim in hominis natura mundique universitate ea quæ sub oculos cadunt iis quæ cerni non possunt, explicari debent. Eam doctrinam in Platone cognovimus ; sic finem in natura manifestum præcepit et descriptis. Id frustra negavit Aristoteles. Res autem altius concepit Plato.

XXVII. — *Causa quæ finis dicitur immobili modo movet agitque.*

Is enim causam quæ finis dicitur, immobili modo res movere et agere intellexit. In *Timæo*, consultat Plato utrum exemplar persecutus sit auctor mundi; postea rogat exemplarne immobile et semper sibi constans imitatus sit an illud cui fuerit initium, additque : « Maxime perspicuum est eum exemplar æternum adhibuisse, nam rerum quæ cœperunt pulcherrima est mundus et auctor ipse optima causa est. Mundus igitur ab exemplari comprehensibili rationalique pendet et nobis quasi imitatio habendus est. » (30) Quin imo hoc inter annotanda ponamus ut illud archetypum quod vulgo idea vocatur, quoddam sit vere et per se existens et intelligibile principium. Apud Parmenidem enim Plato de hac rerum cum ideis communicatione disserit : « Ideæ natura sua quasi exemplaria sunt ; quæ sane res ipsæ per imitationem referunt ; rerum autem communicatio cum ideis nihil est nisi quædam imitatio. » (31) Constitutam et planiorem doctrinam ex his deducere libet. Primum illæ perpetuae et incorruptibiles ideæ quas res corruptibiles exprimunt, certissimos quoque rerum fines ad quos omnia nituntur, continent ; ergo non solum efficiunt moventque, sed ex proposito et quasi consilio regunt. Res ad se alli- ciunt ; persuasio fit, et actio intelligentiae congruens, non certe materiam movet more corporalis potentiae, seu venti modo, sed rebus finem imponit et ita motus ipsius rationem reddit. Quemadmodum in acie legati quidem cohortium motus efficiunt legionumque ordines, tamen solum ducis consilium varios motus explicat ; finis igitur appetit.

Idcirco quod intelligibile est, vere causa est. Vult quoque

noster philosophus sive causam, sive supremum finem sive exemplaria omnino assimilari et æquari : hæc omnia paria atque una putat.

XXVIII. — *Fines rerum eas ad Bonum ducunt.*

Sed ad id procedamus quod maximum in hac quæstione esse putamus. Quæramus quo communicatio illa rerum genitarum et immobilitis ideæ Platonem adducat. Num illa nihil erit nisi mutatio quædam et vicissitudo circulusve æterni motus ? Si quis locorum quos jam antea protulimus vim et sensum interpretari volet, profecto in illis hoc manifestum, scilicet ut optima in mundo fiant, versari profitebitur. Etenim apud Platonem nomine egregio præstantique rerum formæ ideæque appellantur : eas dicit summum Bonum esse. Quamobrem ita fit ut ea communictatio quam supra memoravimus sit fere cum ultimo Bono commercium et quasi in melius mutatio. Quum autem ideam esse quoque finem animadverterimus, sequitur Bonum simul ultimum universitatis finem declarandum esse. Ob id solum cetera efficiuntur ; cujuscumque rei imperfectæ veræ principium et causa habendum est ; etenim cujuscumque rei origo ex expleta summaque perfectione venit.

XXIX. — *Sublato Bono, causa efficiens nihil efficit.*

Sublato Bono, causa efficiens nihil efficit, quippe cuius vis incitamento, ratione et fine egeat. De hoc *Phædonem* consulamus : « Ne ignores, inquit Socrates, viam et methodum quibus ad causas cognoscendas usus fui, ad id

me refero quod jam centies dixi, et hoc primum propono scilicet aliquid per seipsum bonum et pulchrum et magnum exsistere. » (32) Sic Bonum, id est Deus, omnia conciliat, confirmat simulque fundat. Hanc Deus immensa per spatia auctoritatem habet : τὴν τοῦ ἀρίστου ἰδέαν ἀποτελεῖ (*Timée*). Singula quæque Bonum peculiari modo effingunt et ad illud multis variisque viis tendunt ac nituntur. Id omnibus communis est finis. Nemini autem in opinionem veniat hanc sententiam verbis incertis et dubiis Platonem expressisse. Socrates ipse se aliquid magnum summeque bonum propria natura esse pervulgavisse et decantavisse declarat. Deinde in decimo *Legum* libro Atheniensis de hac potentia auctoritateque divina illustria et liquida dicit. Non vult illam summatim et generaliter valere, sed omni tempore permanere, penitusque in intima parte singulas res vel minimas attingere : « Ostendere Deorum operam non minus ad res parvas quam ad maximas spectare, forsitan facile erit. Dii sunt boni et quacunque in perfectione præstantes ; curam igitur omnium maxime propriam habent (33). Ne igitur Deum unquam minoris pretii quam mortales opifices esse censemus qui opera sibi attributa quo præstantiores sunt, eo accuriora et perfectiora eadem arte parva et magna efficiunt ; Deum vero qui et sapientissimus est et vult curare ac potest, parva quidem, quæ facilius curari possunt, nullo modo curare tanquam inertem vel ignavum aliquem propter labores socordiæ indulgentem, magna vero curare. » (34)

XXX. — *Posito fine, omnia sunt optima et aptissime collocata.*

Tum idem Atheniensis postremam rationem ita concludit : « In eam persuasionem hunc juvenem perducamus ut existimet eum qui diligentissime omnibus rebus curam impendit, eas quoque jam ad universi salutem et conservationem disposuisse ; quippe etiam Deos qui singulis in minutissima quæque vel agenda, vel patienda advigilarent et circa res tenues morarentur, constituit. Tu ipse, miselle homo, quantuluscumque es, non ades universitatis rerum expers ; cum illa sine intermissione convenis. Intelligas oportet quilibet generationem universi causa fieri, ut beatam vitam mundus degat ; non tui gratia mundus exstitit, et contra tu ad mundum efficiendum. Quisque medicus vel peritissimus artifex ad totum suam operam dirigit et summæ perfectioni enixe studet ; partem etiam ob universas res, haud vero eas ob aliquam partem efficit. Quod si fortunæ maledicis, causa est cur tui proprias commoditates quomodo cum te ipso mundoque concilientur, nescias. » (35) Imprimis notandum videtur quam in hoc loco finis appareat ; hæc enim notio septies et varie enuntiatur. Verba quibus utitur philosophus hæc sunt ; dispositusse, constituit, causa, dirigit, studet, efficit, quomodo : συντεταγμένα, προστεταγμένοι, ἐνεκα, ἔργαζεται, ξυντείνον, ἀπεργάζεται, δπη.

Deinde quam ea præcipiendi certa apertaque est via ! Quam perspicua ratio ! Quod nisi mundi machina cognatis contexta membris maneret, nisi tota soli et æterno magistro universitas pareret, certe non ordine moveretur terrarum orbis, neque ordine ambient astra. Imo etiam locum et

dispositionem suam sidera non servarent ; inde nec terris imbres qui eas alerent ; abessent denique et vita et regula. « Contra vero, pergit Atheniensis, cuncta animalia in seipsis motuum principium et causam intus habent et quodque eorum in ordine et fato statuta in sede fertur. » (36)

CONCLUSIO.

Ergo finem, intelligentiam et consilium admittit Plato ; unde sequitur ut Bonum summaque Perfectio vere substantialis natura exsistat, de qua cœlum et mundus aeterno pendeant. Hæc profecto Platonis disciplina cohæret ; omnes inter se aptæ et connexæ sententiæ sunt ; res feliciter inventæ prudenterque explanatæ, sublimi modo expli-cantur.

II.

DE FINE APUD PLOTINUM.

Veniamus autem ad Plotinum, cuius quum doctrinam pernoscere nobis licuerit, nostram de Platone ipso aestimationem conferendo complebimus. Quæramus nunc quonam modo illustrissimus ille Alexandrinus philosophus de nostra quæstione Platonis præcepta interpretatus aut protulerit aut mutaverit.

XXXI. — *Plotinus finem in plantis, animalibus et hominibus apparere docet.*

Principio statim primæ *Enneadis* (IV, § 1) quidam seu de animalibus, seu de plantis, seu de homine finis enuntiatur : « Sive quis bene vivere posuerit in bene se ha-

bendo, sive in opere proprio perficiendo, secundum ambo ceteris quoque animalibus inheret. Nam et bene se habere et opus naturale efficere poterunt. Ita, quando aves cantrices cantitant.... hoc agunt suæ convenienter naturæ et vitam sibi optabilem degunt. Quin etiam si finem quem-dam felicitatem esse dicemus, quod quidem extreum est in appetitu naturæ, hoc quoque modo illas fore felices confitebimur. Sicut et plantis datum est ut bene se habeant ferantque fructum atque non ferant. At si voluptas est finis, et in hac vivere bene consistit, absurdus erit qui bene vivere brutis abstulerit. Quod si tranquillitas erit finis, similiter accidet. Item si secundum naturam vivere esse dicatur ipsum bene vivere, idem sequi videbitur. » (1)

In hoc loco quidem Plotinus non de illis finibus decernit ac statuit. Sed in eadem *Enneade*, VII, § 3, declarat « malum hominem non vitam agere perfectam, quippe qui in eadem atque oculus nihil videns, conditione versetur. Quæ autem est alia nequitiæ causa nisi cur suum opus malus negligat et omittat ? » (2) Ergo quod cuilibet rei finis adscribatur, hic inveniri non negandum est.

XXXII. — *Astra non efficiunt hominum acta. Non eamdem atque Plato viam de fine sequitur Plotinus.*

Imo curat ille ne ea notione perverse utamur. Non accipit (*Enn.*, II, cap. III, § 6) astra Martem et Venerem sibi proponere nostra adulteria. Hoc est enim affectatam et falsam similitudinem adhibere. Non de homine probabiliter ex astris concludi potest ; nec e sideribus nostrum in pectus incontinentia demittitur.

Certissime igitur verum finem Plotinus concepit.

Quum vero præsertim in *Enneadibus* de natura Dei

hujusque personis disserit, non sane his usus est argumentis quæ colloquendo Socrates de arte humana toties afferebat. Citius ac sæpius quam Plato sese ad auctorem finium, id est ad Deum Plotinus evehit. Haud in dubia similitudine neque in incerta cum nostris operibus comparatione diu Plotinus immoratur. Fere Socratis de fine doctrinam et sententias supplemento explere videtur; pauca sunt loca quibus eadem repetit.

Nunc nos penitus insinuare debemus in hujus philosophiæ formam, visuri quomodo finis quidam in universis singulisque rebus imponatur et appareat.

XXXIII. — *Omnia inter se concinunt.*

In secunda *Enneade* (III, § 16) dicitur «unum ex cunctis decorum effici, dum singula aliter ex materia ipsa resultant, aliter in rationibus ipsis continentur et fiunt. » (3) Notemus has rationes. Illæ sunt quasi germen quoddam admixtum rebus et diffusum. Ergo simul et una, Plotini sensu, materiæ moles et ratio vivunt existuntque conjunctim: quod jam Plato præceperat, § 10. Atqui materia vis cæca habenda est; a ratione autem fines oriuntur. Sed quæ sit Plotino materia, quæ sit ratio dicamus.

XXXIV. — *De necessitate, id est causa efficiente, apud Plotinum.*

Primum Plotinus Platonis locum ubi agitur de sorte et fortunæ conditionibus, interpretatur. Tum a se petit quæ sint illæ conditiones et ita sibi respondet (2^e *Enn.*, III, 15): « Hæ sunt mundi dispositiones quas habebat universum eo temporis momento quo anima quæque corpus

invit; hæ sunt etiam corporis natura, parentum indoles regionisque situs, denique omnia quæ extrinsecus superveniunt. » (4) Tale est materiæ et necessitatis regnum: huic non finis inest.

Materiæ autem efficax movendi causa naturalisque generandi potentia implicatur. Addit enim: « Pariendi quidem munus habet illa generationis causa, sed adjungi præcipuae animi potentiae auxilium necesse est, scilicet τὸ ἡγούμενον τῆς φύσης, quo materialem genitalemque animam alit et format. » (5)

Quæ sunt autem illæ animæ nisi tum causa efficiens movensque, tum finis, id est intelligentia. Jam Socrates et Plato motuum conversiones et mutationes ad mundum per causas explicandum non sufficere senserant.

XXXV. — *Plotinus declarat fines per omnia patere.*

Non aliter tertia in *Enneade*, I, § 3, curat intelligamus quam sit obtusum « referre omnia ad corporales causas nomine atomos vel elementa; quibus sine lege permixtis, ordo, ratioque et corporum dux atque imperator animus nascerentur. » (6) Item in eadem *Enneade*, II, § 1, omnem de atomorum opinione refellenda probationem Plotinus rejicit; asserere finem non probatione eget: id per se ipsum patet. Ergo quemdam *Philebi* locum memorare illi satis est; nos ipsi eum supra memoravimus.

Hæc a Plotino prudenter et considerate dicuntur. Quid enim nostra intelligentia in rebus intelligere potest, nisi rem intelligibilem, id est finem ipsum? Idem eodem allicitur.

XXXVI. — *Non motum sed finem noscere nostra intelligentia dignum est.*

Noscere enim in materia motum, positionem, figuram, elementa non intelligentia dignum erit, si insitum extensa in materia exemplar non detexeris et manifestum finem certumque consilium non aperueris. His positis, haud immrito « insulsum » habetur e corporis mole eruere ipsam causam hujus quod intelligibile est. Addit etiam Plotinus : « Atomas præcipere non est cordate, nec scite loqui. » (7) Postea quoque, § 13, declarat : « Quod mutatur et convertitur, non vim fortuitam tolerat sed pulchritudinis legibus et divinæ potentiae obedit. » (8) Hæc obedientia manifesto cum partium congruentia simul apparet. Sic omnia sidera ad Totum, τὸ δόγμα, constituendum conspirant : « Ergo inter se in naturali cum universo coniunctione versantur, eodem modo quo partes animalis ad omnia vitæ munera spectant. Ea est enim bilis ut ad totum animal ipsamque simul partem quæ eam continet, accommodetur ; animum stimulat ; cavit ne corpus et pars quæ bilem ipsam habet, lædantur (9), *Enn.*, II, III, 5. » Omnis igitur facultas suo ipsius muneri æqualis esse debet; stultum faceret qui videre per digitum posceret, non per oculum : « Namque digitus illa forma indiget qua facile munere suo fungatur. » (10)

XXXVII. — *Finis usque ad hominis habitum a Plotino profertur.*

Hanc postea finis causam usque ad hominis habitum accommodare Plotino placet. Quippe, in tertia *Enneade* (II, § 17), quum ex omnibus rebus naturæ coniunctionem

effici et ex illis unum animal constare dictaverit, adjicit animi conditionem et fortunam nostræ indoli respondere; quod si sortem suam ille patiatur, tum partes sibi assignatas in fabula cui ratio universalis, λόγος πᾶς, præsidet, recte gerit. Cantilenam sibi propriam canit. « Quando aliquis vox et figura per se pulchritudinem habent, rerum universalium formam honestant. Quod nisi esset, vox extra modum absonta atque absurdâ fieret, sed opere natura non eo perturbaretur. » (11) Gravis hæc sententia est, quum ex ea quam pateat universalis concentus, existimari possimus ; namque aliquid invenustum harmoniam non perverteret. Hoc tamen nobis concedendum videtur scilicet ut totum opus, ob id vitium (quantulumcumque est), minori pulchritudine præditum evadat : quæ res a Plotino nec queritur neque explanatur. Non enim nobis sufficit dicere quemque pro sua facultate et justitia collocari, quemadmodum in singula lyræ corda fieri solet. Non sufficit etiam dicere « omni in animali partes quæ supra sunt, ut faciem et caput, pulchritudine aliis praestare (12) (3^e *Enn.*, II, § 8), et quemcumque hominem non in mundo sicut lapidem versari, quippe qui ad concentum et unitatem, suum agens opus, conspiret. » (13) Oporteret enim indicare unde nobis et mundo, licet optima sit rerum universitas, malum veniat.

XXXVIII. — *Dicitur quis sit mali finis.*

Attamen aliis in locis de mali origine disputatio appetit, Plotinusque hanc difficultatem a Platone omissam paucis verbis expedit. Imprimis est multus in laudanda naturæ coniunctione : ab unitate omnia oriuntur; res ad unum finem tendunt, σύμπνοια μὲν, et id non solum in quocumque

animali cujus partes cohærent, sed antea latiusque in universo. Quæ quum ita sint, unde malum et vitium originem ducunt? Ad quem finem existunt? Nonne dubiam et in incerto ponere Providentiam licebit? Nunc igitur omnis de mali fine pugna est. Scilicet in tertia *Enneade*, II, § 5, hæc Plotinus præcipit: « Sunt quæ iis ea tolerantibus prosint, ut paupertas morbusque. Vitium quoque ad Totius perfectionem adjuvat, nam saeviendi occasionem Deo præbet, namque nos vigiles efficit et animos stimulat. » (14) Non omnino tamen nodum Plotinus expedivit: hæc enim Totius perfectio nobis major appareret, si prorsus nihil mali adesset. Declaratur vero Providentiam, quum deformitas generatis rebus inhæreat, ad optimam rerum conditionem efficiendam, malis uti.

XXXIX. — *Malum hunc habet finem ut nobis prodesse possit.*

Secunda quoque in *Enneade*, III, § 18, eamdem sententiam suscepérat: « Pleraque mala vel potius omnia universo proficiunt; talia sunt venenifera animalia; ipsa enim nequitia nos homines ad prudentiam cogit. Hic mundus quem nostrum appellamus, universalis animæ speciem ac imaginem reddit; quæ imago vicissim et perpetuo formatur, εἰκών ἀεὶ εἰκονιζόμενος. » (15) Ergo perenni ex mutatione, ex mobilitate generationeque malum exit, Plotini sensu, nobisque prodesse potest.

XL. — *E mobilitate malum exit, et ad melius tendit.*

Hunc profecto finem quem malis assignavit, non esse talem plane et in principio profitetur. Dicit improbitatem non reipsa apparere ut prudentes siamus. Sed « ubi mala

necessario admissa fuerunt, Deus ad suum opus perficiendum illis malis usus est. Hoc vero magnæ potentiae proprium est ut ad sua consilia propositaque mala ipsa convertat (16), 3^e *Enn.*, II, § 5. » (Cf. Leibnizium.) Paulo etiam longius malum præcise definitur; dicitur illud deficientem causam habere, ἔλλειψις τοῦ ἀγαθοῦ: qui defectus ex immixta menti materia venit. Caveamus enim ne hac in permixtione puram et absolutam perfectionem quæramus, nam si quid secundas partes obtinet, ne petamus id habere naturam quæ ad perfectum principium pertinet.

XLI. — *Quæritur quis sit liberi arbitrii finis.*

Emergit vero nova difficultas quæ scilicet in nostra libertate consistit. Num ea libertas erit cessatio finium et interruptio? Num Totius concordiam disturbare illi concedetur? Videamus primo quanam ratione nostrum liberum arbitrium Plotinus inspiciat et exploret. Declarat in tertia *Enneade* (II, § 9) « non oportere nos vim providentiae et potentiam adeo late extendere ut actio hominis pereat. Etenim si sola erit providentia, ad quid adhibebitur? » (17) His in paucis verbis nostra quidem libertas non significatione neque essentia determinatur; tamen ab actione Dei segregatur; is etiam bonitati divinæ finis attribuitur, ut nostram libertatem regat. Eadem quoque in *Enneade* (III, 2^a pars, § 3), quum Plotinus Deum cunctis, ut imperatorem commeatus et arma machinasque parantem, prouidisse docuit, addit: « Quamvis hoc aut illud consilium capiendi potestatem habeam, id tamen in partem mundi venit, quippe mea indoles neque sero neque intempestive rebus universis adscita fuit. » (18) Hic proprius voluntatis motus, etiamque grave argumentum clare indicatur,

quippe Plotinus nostram libertatis conscientiam agnoscit. Nihilominus nobis placeret eum omnino explicavisse finem qui e natura libertatis exit; inde profecto homini summus est honos et ad virtutem propensio. Quid enim nobis prodest libertas, nisi dignitati acquirendae faveat? Paucis tamen verbis hic egregius finis a Plotino fere declaratur in sexta *Enneade*, IX, § 9: « Quid est, inquit, nostra his in terris vita, res inter sensibiles, nisi gravis animi nostri lapsus et exsilium et alarum jactura? » (19) Haec præstantissima sententia supremum finem tecto modo et per similitudinem nobis assignat; certe permagni aestimanda est.

XLII. — Quæritur quis supremus auctor fines conficiat.

Nunc eo fert nostra disputatio ut quis sit apud *Enneadas* finium variorum et supremi finis confector et procurator, breviter dicamus. In tertia *Enneade* plures conjecturæ commemorantur; quæque autem earum quædam objecta movet. Primum conjicere est « animam unam in mundum diffusam omnibus vim et motum incutere et sic omnes secundas causas ex hac summa causa pendere. » (20) Utile esset hanc solutionem nunc accipere, namque unitati convenit, et solent neoplatonici omnia per immotam supremi principii unitatem enodare. Attamen hanc opinionem rejicit Plotinus, quoniam series et nexus causarum fieri non possent; ad hanc animam in mundum diffusam omnia referre oporteret; solus in solitudine Deus vere existeret, cessante quacumque alia causa.

XLIII. — Plotinus fatum epicureum rejicit, et aliam opinionem considerat.

Ergo et fatum epicureum et doctrinam qua Deus ex omnibus constet, pariter repudiatur. Tunc, § 7, aliam opinionem considerat: « Res omnes cohærent et strictissimo vinculo junguntur; ex hac affinitate cujusque rei proprietates nascuntur et unica seminales per rationes omnia efficiens causa instituitur: ἀρχὴ μία ἀφ' ἣς πάντα κατὰ λόγους σπερματικούς περαίνεται. » (21) Quæ secunda opinio hoc solum primæ adjicit, scilicet esse seminales quasdam rationes; per quas finem explicat, namque ubi ratio et idea sunt, ibi consilium et previda mens. Intellectualis ergo certe anima illa erit. Plato quoque intelligentiam animæ cuidam inesse solummodo posse dixerat. Apud Plotinum autem ratio seminalis, id est per generationem tradita, præcipitur. Quem enim fugit apud plantas et animalia hominesque certo generationis modo formarum vitæque translationem fieri?

Attamen quærit ultra Plotinus; declarat enim hac in secunda opinione nullo loco nostram libertatem numerari dicitque eam opinionem non satis propriam essentiam et vim nostro animo concedere: hinc fieret ineluctabile fatum et omnia continens necessitas.

XLIV. — Ut finis explicetur, anima universalis non sufficit; oportet humanam mentem existere præcipi.

Consideremus ergo explicationem novam (§ 8, loc. cit.): « Interest nostra rationem rerum omnium habere ita ut nihil sine causa eveniat, ordoque maneat; concedamus ergo non solum animam universalem existere, sed etiam

cujusque hominis animum et mentem. Illa mens non est quoddam principium parvi momenti in continua causarum serie, nam per se ipsa prima summaque causa est, nedum e semine per generationem nascatur, more aliarum rerum, πρώτουργος αἰτία. » (22) Fateamur fore difficile ut minus inclinantem ad divina et humana permiscenda doctrinam reperias. Nonne enim hominis animam sui potentem, liberam et suis legibus propriis utentem declarat?

Ex his concludamus ordinem et harmoniam Totius et singulorum animalium apud Plotinum certissime finem haberi; dein finem illum per universalem animam nec non per singularem cujusque hominis animam effici; denique his duobus principiis inesse intelligentiam quae formas et exemplaria universalia proprie possideat, et cunctis rebus imprimat.

XLV. — *Intelligentia fines efficit per formas et exemplaria.*

Hæc autem imprimit singendo et illuminando, ritu quidem intellectualis potentiae quæ species gerens, eas in materiæ elementis infigit et sic in illis vestigia mentis relinquit. Etenim in tertia *Enneade* (II, § 1) « universitas, inquit Plotinus, intelligentiae legibus inservit et universitatem intelligentia tempore præcurrit: καὶ νῦν εἶναι τὸ πᾶν, καὶ νῦν πέρι αὐτοῦ εἶναι; suapte natura intelligentia mundum præcedit: cuius illa est et causa et archetypum et exemplar, αἴτιος, ἀρχέτυπον, παράδειγμα. Illa enim efficit ut mundus constanter et more eodem existat. » (23) In hoc loco finis certissime appareat. Etenim de intelligentia agitur; atqui ea sola et unica finem concipere potest. Insuper ea est causa, namque efficit ut rès stare et durare possint.

Omnino quoque causalem potentiam habet hoc exemplar, quippe præstantem formam partitur in res ad finem imponendum. Ceterum suam doctrinam explanans hoc protinus addit: « Diffunditur cunctas in res amicitia perfecta, quoniam nihil in illis segregatum nihil seclusum, nihil alienum manet; et, quamvis dissidium fieret, tamen non pugna decertaretur. » (24) Hic est enim supremus et amplissimus finis qui ex intelligentia oritur.

XLVI. — *De ratione seminali.*

Plotinus quidem a stoicis rationem seminalem transtulerat; nostra vero refert notare hanc rationem seminalem certissime ad finem pertinere: illa enim est quædam intelligendi vis omnes existendi modos continens et eos in corporibus propria virtute evolvens; in ea semen omnium actionum et passionum ab ortu versatur; sic implicitum est quidquid facere, quidquid pati debemus. « Non aliter animus universum dirigit et gubernat, ψυχῆς τὸ πᾶν διοικούσης κατὰ λόγον, 2^e *Enn.*, III, § 13, velut in quolibet animali ratione corporis partes conformat. » (25) Nec satis est, namque ipso in homine qui merito microcosmus appellatur, duæ sunt partes et ad finem proprium quemdam tendentes: « Si corpus (2^e *Enn.*, III, § 13), sui ob malam structuram, animi effectibus obstiterit, similis erit male sonanti lyræ. » (26) Ergo corpore ut instrumento animus utitur; hic illud non per aliquam in quadam parte præsentiam sed per vim actionemque et ad finem efficiendum possidet. Patet hæc omnia non cæcam per fortunam neque atomorum concursu fieri posse; nam, quum Plotinus epicuream doctrinam rejicerit, necesse est eum plurimos et alias ex aliis

aptos fines accipere. Quid enim aliud quam ideam notio nemque sibi certissimum finem proponentem, materiæ adjungere intelligentia potest?

XLVII — *Materia cui intelligentia adjungitur, ideam et finem exprimit.*

Hanc vero ideam simul et finem materia exprimit et nostris oculis subjicit. In tertia *Enneade*, II, § 2, Plotinus dicit « omnes rationis seminalis partes una simul existere nec aliam alii pugnare aut obstare aut ab alia dissidere. Hæc autem ratio aliquid in mole materiali per se facit; nam corporea elementa alia ab aliis sezunguntur, sese impediunt, et sibi perniciem afferunt. » (27) Ergo, si a nobis met ipsius petamus quomodo concordiam et harmoniam intelligentia inserat et imprimat, noster philosophus illud ex intelligentiæ natura ipsa et dotibus oriri hoc in loco declarat. Mens enim, quum intus una et simplex semperque sui similis sit, materiæ elementa componit; materia scilicet copulatur et atomis coagmentatur; hæc elementa summam efficiunt e multis et semper ad discordiam tendunt. Mens vero unitatem intimam habet; formam ergo unam imprimere ac retinere potest; partes quoque ad finem unum dirigit, utpote sibi constans. Ita Plotini doctrina nobis fundata gravissimis argumentis videtur; manifestam in singulis et in universo convenientiam planissime confirmavit, quippe cuius vere causam ostendat.

Quando tamen pulchritudini finitimum quoddam vitium reperietur, nihil mirum erit, nam corporis moles cæca et sui inscia ordini resistit, eum subruit, et finem ab intelligentia propositum intercipit et impedit.

XLVIII. — *Plotini sensu, fines mundi nobis signa fiunt.*

Nunc rem de fine novam apud Plotinum, enuntiare oportet: quod e superioribus dictis improviso nec vere consequitur. De hoc Plato nihil, etiamsi Socrates similia colloquendo vel agendo præceperit. Quum sæpiissime Plotinus omnes universi partes convenire et sapienter disponi memoraverit, addit, 2^e *Enn.*, III, § 7, « omnia signorum notas continere; ideo sapiens aliud ex alio concludere potest; σύνταξις μία; multaque evenire solita ab omnibus prævidentur. » (28) Multa hujusmodi loca in philosophorum libris reperias. Nihil aliud significabat Seneca quum diceret: « Quidquid fit, alicujus rei signum est, alicujus rei ordo est, etiam prædictio est. » (*Questions naturelles*, II, 32.) Idem quoque aiebat Leibnizius in *Monadologia*, 56: « Ex hac mutua omnium mundi partium cohærentia fit ut quæcumque simplex natura in hoc statu et ratione versetur ut alias res finitimas exprimat et reddat; ea universitatis vere vivum et perpetuum speculum habenda est. » Hujus rei consequentiam nova ratione Plotinus explicat. Etenim eodem loco, putat hac mundi conjunctione fundari et confirmari ea quæ ex volatu avium præsumimus, nec non auguria quæ ex aliis animalibus facimus. Quod si per fortuita et per atomorum motus rerum rationem reddere ille denegat, causa est non solum quare in mundo per manifestos fines intelligentia reluceat ac splendeat, sed etiam quare vaticinari et futura divinare non possemus. Cavet quoque ne obscura sententia maneat; ut liquidus fiat verborum sensus, « ex his, inquit, eadem perfectius considerare licet, quæ nato prædictit astrologus, suspiciens stellarum dispositionem, quando noscitur, constitutam;

quæ quidem si dixerint non significari tantum a præsentis dispositione, sed fieri, sæpius mentientur. » (29)

XLIX. — *Plotinum de hoc finis modo reprehendimus.*

Habemus sane quod in *Enneadibus* adeo vanæ scientiæ præcepta inveniri miremur; quæ scientia, falsæ causæ captione fulta, futuri præsumptionem et fatorum notitiam in astrorum conversionibus requirit. At, quamvis hæc argumentatio male adhibeat, tamen hanc bona origine fundari rationem notare audebimus: naturæ enim spectaculum contemplanti, magis ac magis manifestum videtur mundi compagem non necessitatis legibus, sed pulchræ et bonæ rerum omnium convenientiæ adstrictam esse, id est apparere vulgo continuam et certis multisque indiciis comprobamat finium seriem. Plotinus autem hoc sentit ut, ultra res quæ sub sensum cadunt, vere existat mundus comprehensibilis quique solum ad intelligentiam pertineat: inde cœli magnificentiam astrorumque signa et indicationes nasci; sic fierent quædam novæ litterarum notæ in astris consistentes. Fallaciter concipi hoc quidem extremum nobis videtur. Quid stultius quam adeo vanis similitudinibus uti? Non licet ratiocinationes genere adeo dissimili adhibere; affectata et quæsita est analogia.

L. — *Nullam cognationem inter cœli conversiones et res nostras esse.*

Nulla enim cognatio et connexio cœli conversiones et res nostras nostraque optata conjungere potest. Maximo a nobis spatio astra distant. Sæpius autem illi eventus qui nobis displicant et quos infelices putamus, naturaliter accidunt; hos falso et imaginandi vi decepti infelices

putamus. Nunquam igitur astra in communicationem generis humani de nostris votis nostroque metu veniunt. Ceterum astra neque consilia habent neque fines sibi proponunt, quamvis aliunde in mundo finis certissime appareat.

LI. — *Quomodo suprema intelligentia fines ad effectum adducit?*

Nunc procedere et progredi oportet. Consideremus quoniam modo suprema intelligentia animo adjuncta plurimos in natura fines ad effectum adducat. Num more humano? Homo scilicet sui propositi semper conscientiam retinet; noster sentit animus se velle; tum nunquam nescit quid acturus sit; etiam sciscitanti cuidam verbis suam aperit sententiam; detegit eam et quasi in medio ponit; deinde litteris exprimit et suum opus et laborem per momenta certa, per vices prævisas ipse dirigit. Porro diligenter Plotinus attendit ne Deo morem hunc humanum adscribat. Declarat ille mundi conjunctionem divinæ intelligentiæ congruere, sed « hujus auctor et conditor (3^e *Enn.*, II, § 14) nullam ad id efficiendum rationis discursionem componit. » (30)

LII. — *Attendit Plotinus ne Deo morem humanum adscribat.*

Adest ergo naturæ finibus nec conscientia nec sermonis ordo verborumque series, nec cogitationum in partes divisa et ad conclusionem tendens distributio. Hujus intelligentiæ sententia implicita est; sui nescia vim suam suique vestigia media inter corpora imprimunt conformando et quasi committit; adeo cuncta mutuo partibus etiamque locis et temporibus aptantur ut in illis quamdam in-

telligentiam quasi instinctu præsentiamus. Ceterum sola has perite distributas partes intelligentia noscere potest et arcanam hujus machinationis industriam intropiscere. Tum in hoc tanto artificio nostra mens intelligentiae opus reperit et sese, ut ita dicam, recognoscit. Itaque illud cordatissime Plotinus eodem loco adjicit : « Adeo perfectus est ille naturalis ordo ut qui optime argumentetur, videret haud sine admiratione naturam melius quam se ipsum ratiocinari. » (31) Quid clarius et planius dici posset ? Patet naturae operam et laborem in eo consistere ut mens quædam in materiam penitus eat, et in ea splendeat. In secunda *Enneade* (III, § 17) idem præcipitur : « Consideremus an rationes animo insitæ ex notionum et cogitationum serie constent. » Hoc autem Plotino displicet : « Neque enim cogitationem neque animi contuitum, sed potentiam et vim sui nescientem corpora conformare putat, ut circulus formam et notam orbiculatam fingit. » (32)

Huic deinde principio quod solum movendi vis est, superadditur ratio quæ non solum in materia aliquid fingit ac disponit, sed etiam secundum exemplar et ad finem propositum efficit : 'Ο λόγος ἐν ὅλῃ ποιεῖ.

LIII. — 'Ο λόγος ἐν ὅλῃ ποιεῖ.

Ceterum eodem loco, sed paulo ante, § 16, expressius et accuratius dixerat : « Mens vero, quem suæ actionis effectus intelligeret prævideretque, per illos effectus constituit res omnes futuras, et eas alligavit; diligenter quoque præcurrentia et consequentia dispexit et e præteritis ventura prævidit (33). » Hic certissime locus ad finem valde pertinet et momentum habet, quippe agitur de intelligentia sibi futura proponente, quod nos ipsi præcepimus; vide § LXVI.

Hanc autem esse sui consciac Plotinum sensisse dubium est: modo ait, modo negat; forsitan hoc extreum reipsa accipit. Etenim in tertia *Enneade*, II, § 16, egregium exemplum adhibens, « actio, inquit, in qua rationis vita consistit, formas præbere et communicare potest ita ut, quum motus fit, alicui formam (id est existentiam) suppeditet. Hujus ergo movendi facultas ex arte venit et agit ut saltantis disciplina. Saltator enim nobis quasi vitæ sic artificiosæ persimilis est; is arte movetur etiamque vita, quædam ars habenda est. » (34) Hic certe fines Plotinus accipit, namque consilium quælibet ars desiderat, et prorsus in mundum apud *Enneadas* conclusio valet.

Brevis repetitio. — Hactenus consideravimus apud Plotinum rationem formas imprimendo agere, hanc quoque rationis actionem, quamvis intellectualis sit, finem suum sine conscientia attingere, neque uti humano ratiocinationis modo. Præterea quid seminalis ratio significaret explicavimus. Ea tamen non plena, non satis aperta est doctrina. Id certe non ad totam de fine quæstionem solvendam sufficit.

LIV. — *Natura contemplando suum agit opus, et introrsus actionem exercet*

Non vult quoque Plotinus naturam cum opifice conferri. Natura quam vulgo rationis expertem habent, quasi contemplando suum agit opus: « Non pedes, 3^e *Enn.*, VIII, § 1^{er}, non manus habet, neque instrumentum vel naturale vel artificiosum. Illi solum ad creandum opus est materia; tum artem exercet et formam imprimit. Nec rem vectibus convellit aut per machinas commovet. » (35) Abest igitur ars illa quæ manu constat; sine impulsu agit. Facit operam

ut opifices qui cerea simulacra fingunt. Attamen non cum his ipsis vere collatio est, nam necessario « ab aliis corporibus colores imprimendos mutuantur ; natura autem eos in seipsa invenit, possidet propriam immobilem potentiam qua sine manuum auxilio fit efficiens. » (36) Primum Plotini doctrina nobis verior habenda esset si naturam in rerum partibus intimis vim et actionem suam penitus ponere declaravisset : naturae enim actio non ab alia re transit ad aliam. Deinde perspicuum est quantopere verba duo, « contemplari, θεωρία, immobilis, μένειν », inter se conveniant. Quemadmodum mens intima quæ opificis manum dirigit, prorsus immota subsistit neque habet ullas partes quarum aliæ moventur, hærent aliæ, sic mundi ratio (nam materia solummodo agitationem patitur), permanet motionis expers et molem agitans. Jam ante Plotinum Aristoteles aiebat idem et præclare : « causa quæ vere finis est in immobili sedet (*Metaphys.* XII, 8). » Sic divus Thomas in *Summa* : « Omnis motus, inquit, fundatur in immobili. »

Ceterum non solum animalia per finem et contemplationem Plotinus explicare tentat ; res quoque physicas extra materiem suam invenire causam putat. In tertia *Enneade*, VIII, § 1, dicit « non per ignem, sed per rationem, materiam igneam fieri ; quemadmodum in animalibus et plantis solæ rationes progernerant. » (37) Quod si natura, licet immobilis maneat, res gignit creatque, ex hoc sequitur eam vere contemplando agere et fines producere.

LV. — *Naturale opus e silenti speculatione nascitur.*

Hanc etiam postea sententiam consummat dicens, loc. cit., § 3 : « Non oportebat interrogare me, inquit natura, sed te decebat silentio intelligeré, ut et ego sileo, nec

eloqui consuevi. » (38) Non enim naturale opus a continuatione sermonis serieque verborum pendet; fit impulsio sine ulla cogitatione vel deliberatione, vel libero arbitrio. Hæc sane verba cum locis jam indicatis consentiunt præsertimque nobis manifesto finem, Plotini sensu, non ex alicujus conscientia et libertate procedentem demonstrant.

Quid autem in rebus illa silens contemplatio agit ? Nihil nisi generationem quæ certe a speculatione dicit originem et ad formas gignendas tendit ; idem est generare et contemplari : « Jam vero et quando animalia generant, rationes intus seminales stimulant ad gignendum, idque totum contemplationis actio est. Facere enim, ut sit aliquid, est speciem quamdam efficere. » (39) Hic amoris clarissime finis designatur ; is affectus imaginem perfectam intelligentiae præbet atque, animo cupidine furoreque tacto, ad finem certum et necessarium erumpit. Itaque Plotinus his verbis sententiam suam peragit : « Qui amant, contemplantur. » (40) Mille enim ipsi sibi somnia fingunt ; varie cogitando eorum animus secum meditatur.

LVI. — *Sed finis ad Deum intelligentem nos extollit.*

Quamvis non de illa doctrina judicium afferre, sed potius diversa loca conferendo jungere velimus, id tamen nunc perspicue cernitur has omnes rerum ideas ac rationes non aliunde quam ex prima et divina mente oriri, sic finis ad intelligentem Deum nos extollit. Plotinus in tertia *Enneade*, VIII, § 7, id apertius ostendit : « Gradatim assurgit contemplatio, a natura exorsa, usque ad mentem, deinde ad intelligentiam. » (41)

Nunc maturum est ad extrema venire consequentia quæ ex his variis concludere licet. Nimirum quod sæpiissime

mundum cohærere et unitatem facere dictatum erit, non frustra est; declaratum quoque fuit convenientiam et harmoniam partibus conjunctis ubique videri etiamque, secundum similitudines, unamquamque rerum áliam alias signum fieri posse.

LVII. — *Finis ad Bonum spectat.*

His positis, ad id venit Plotinus, 2^e *Enn.*, III, § 7, ut confiteatur « Progreditur unum quodque ab uno principio munus proprium peragens, alia vero aliis ubique conducunt » (42) Hoc principium vocatur Bonum, nec solum res existere fecit, sed præsertim rebus finem constanter imponit. In prima *Enneade*, IV, § 6, animus hominum in supremum Bonum incedens ostenditur : « Quando illud possidet, satiatur et sistit ; tunc vita vere voluntati suæ conveniente fruitur. » (43) Cujus autem naturæ est hoc Bonum ? Num corporale est ? Num sine lege et ex libidine se gerit ? Tum Plotinus hæc præcipit : « Præclare dixit Plato oportere te, ut ad Bonum assurgas, terram deserere, et ad id solum oculos convertere; etenim hoc sapienti sufficit ut sui ipsius finis ad exitum ducatur. » (44) Hoc in loco Plotinus Bonum non desideriorum expletionem sed aliquem vere viventem et a sapiente viro noscendum esse putat. Jam antea sic præcepérat Plato. Præterea Bonum non tantummodo perite et calide res omnes et animalium partes disposuit, quod est primum finis officium, sed etiam nobis perfectionem summam et quæ semper eadem existit, conantibus præponit. Deinde, quoniam Bonum finis universus habendum est, illud in omnibus rebus mirabilem concentum dispergit et constituit.

Ut vero huic ad Bonum propensioni satisfiat, sufficit ut unaquæque res « agat et vivat convenienter naturæ : » (45) Tum etiam cujusque rei Bonum in optimæ partis officio et actione consistit; eaque actio « et naturalis et propria esse debet, nec ulli rei deficere. » (46) Cujus sententia ut momentum videamus, referamus oportet ad hominem id quod de quaue re dicitur. Etenim quid erit in homine Bonum ? Ea nimur natura et indoles qua ad scientiam et virtutem sese quisque vir propriis conatibus attollere potest. Quis autem omnes hominis partes non ad hos egregios fines accommodari negabit ? In his appareat hominis vere vitalis vita. Nonne, ut eam nos agamus, quosdam sublimes sensus, rationem et liberum arbitrium possidemus ? Eæ sunt vero conditiones ad scientiam et virtutem necessariæ ; hi sunt nobis certissimi fines.

LVIII. — *Bonum autem ad Deum privum et singularem nos evehit.*

Tum, ne dubites an Bonum illud aliquis privus et singularis sit, Plotinus, in prima *Enneade*, VIII, § 2, sic ait : « Bonum est principium de quo cuncta pendent, ad quod cuncta nituntur, e quo veniunt omnia et cuius omnia indigent ; plenissimum et absolutum existendi modum habet neque alienæ opis eget. E seipso intelligentiam, essentiam, animum, vitam et intellectivam contemplationem educit. » (47) Quam evidenter appareat illud excellens Bonum et fines plurimos concipere et eos efficere posse !

LIX. — *Ut mundi fines concipiantur, non præsentia tempora unice considerare convenit.*

At quomodo destinata finesque Bonum exsequatur, quærere libet. Tum nova præcipienda ratio nobis præbetur,

quam certe jam Plato docuerat et quam Leibnizius posterius renovabit : « Fieri posset ut mundus semper magis ac magis ad melius progrederetur, si ea esset natura rerum ut ad optimum semel et simul assurgere non liceret. » (*Theodic.*, 2^a pars, § 202, ad finem.) Idem dixerat Plotinus, 3^e *ENN.*, II, § 13 : « Non sufficit præsentia tempora unice considerare ; præterita quoque nec non et futura perspicere convenient, ut quomodo justitia Dei singillatim exerceatur, videamus. » (48) Quum vero talem egregie excogitatam disciplinam qua sublimi modo sapientia, bonitas et absoluta perfectio cum æterni temporis notione consociantur, Plotinus enuntiavit, contra minutas et humiles consequentias colligit. Quarum unam proferre ausim : « Providentia eos qui male divitiis usi sunt pauperes reddit ; qui mulieri vim attulerit, vim ipse patietur. » (49) At quis unquam de modo quo Dei justitia expromatur, statuere et decernere poterit ? Ne quæramus reconditos Dei fines tenere. Sit satis fretos iis rebus quas certe dignoscimus, compositionem mundi æternam absolutamque vel in minimis esse debere, nos asseverare.

LX. — *Mundus ipse suos fines declarat.*

Quis, quum adeo varie et late ars perfecta adhibeat, finem certissimum in mundo adesse negaret ! Hanc sane vim et significationem habet magnifica illa mundi prosopopæia, 3^e *ENN.*, II, § 3 : « Si quis, inquit Plotinus, mentem ad mundum intendere volet, hunc ita clamantem audiet : Est vero ita ; Deus me fecit et ex hujus manu exiens perfectus exstisti, cuncta animalia in meo sinu continens, absolutus neque ullius egens, nam in me cuncta congesta sunt et coacervata, tum plantæ et animalia, tum cujusque generati natura, Dii quamplurimi, et boni animi homines-

que virtute felices. Omnes quos complector Bonum appetunt ; omnes illud pro sua parte consequuntur. Etenim omne cœlum de Bono pendet. » (50) Quam bene, quam pulchre dictum ! Hæ voces magnifice sonant ; quibus nostræ intelligentiae infirma vis augetur et ad ampliora assurgit. Fit humana ratio fere digna Deo et apparelt quam re quidem vera philosophia sit summorum principiorum scientia et primarum causarum. Quin imo liquet, juxta plurima quæ jam e Platone Plotinoque retulimus, supremæ causæ intelligentiam et finium providentiam inesse.

Ea est egregia, gravis, magnique momenti doctrina quam fretus causa quæ finis dicitur, Plotinus de natura, homine et Deo varias per *Enneadum* disputationes deduxit.

III.

DISPUTATIO.

LXI. — *Judicia de Platonis et Plotini sententiis præbere tentamus.*

Nós hactenus, quædam a multis eligendo loca, Platonis et Plotini sententias de fine in corpus redigimus ; quas, ut intelligerentur et illustriores fierent, dissipatas collegimus. Nunc nobis relinquitur ut, hos philosophos conferendo, judicium de illa re præbeamus. Nos tentare oportet quid in illis desit, quid claudicet, ostendere.

Quod ad disputandi genus et formam pertinet, Plato, utpote colloquentes personas inducens arteque dialectica usus, sæpius quam Plotinus disputat et opinione varie

confirmatas præbet. Hoc habent in se proprium non modo illi duo philosophi, sed etiam ætates eorum et scholæ quas insignes fecerunt. Postquam sophistæ veterum philosophorum dogmata permiscuerant et omnia ad ultimum verterant, necessario disputandum erat; itaque socratici philosophi, ducis et quasi antistitis exemplum secuti, contentiones agitare non desistunt, haud causa quidem famæ, sed veritatis acquirendæ.

LXII — *Plato disputat, Plotinus docet.*

Disputavit enim Socrates tum in propatulo, tum per compita, tum juxta ripam Ilissi. Disputavit quoque Plato, cujus pleraque opera doctum variumque sermonem in colloquiis personarum per quæstiones et responsa nobis afferunt. Eo vero tempore quo florebat Plotinus, omnes jam philosophorum disciplinæ quas humana mens instituere potest, in explicationem venerant et planissime consequentia propria singulae protulerant. Excependi tempus venerat. Atqui delectum illum neque anguste neque minute neoplatonici fecerant. Elaboraverunt ut plures doctrinas permiscendo jungerent et sic philosophiam unam vereque humanam e multis doctrinis consti- tuerunt.

Itaque, etsi aliquantum proprie et sua disciplina usi de naturæ finibus disputaverint, tamen jam antea cognita dogmata de hac re potius contraxerunt. Apud Platonem quæstiones subtiliter dispiciuntur; plures adsunt in sermonibus personæ; apud Plotinum, licet rerum ordo sæpissime desit, compositio quæ ad docendum spectat certi- nitur.

LXIII. — *Platoni Plotinoque philosophiæ historia deest.*

Deinde pariter ambobus et peculiariter de fine deest philosophiæ historia. Socrates quidem (*Phædon*, 46) reprehendit Anaxagoram quod, quum intelligentiam omnibus præstare mundumque regere putaret, non ex eo satis magnam utilitatem ceperit. At solummodo paucis verbis Anaxagoræ sententia enuntiatur. Sic Plotinus epicurea de casu et atomis dogmata (4^e *Enn.*) aut stoicorum opinione quam brevissime complectitur. Antea Tullius copiosiorem de his diversis se præbuerat. In libro *de Natura Deorum*, II, § 22, dicit stoicis naturam « plane artificem, consutricem et providam utilitatum opportunitatumque omnium » videri: inde certa est apud illos de fine doctrina. Dicit quoque eos multas rationes et causas insulse fingere ac docere, eoque modo eos divinationem fundare; quamobrem Academicci stoicorum providentiam facetiis insectantes, eam appellant anum fatidicam, ut refert Cicero, *de Divinatione*. Pariter in libro (I et II) qui *de Finibus* inscribitur, epicurea præcepta continua dissertatione exprimit et arguit. His nihil adjecit Plotinus, in quo sane reprehendendus fit. Etenim, ut profici et conferri et judicari possit, philosophiæ sua ipsius historia opus est. Hoc Aristoteles in *Metaphysica* senserat, quippe qui priores doctrinas exposuerit. In *Enneadibus* autem permiscentur omnia nec satis prudenter copulantur.

LXIV. — *Neque apud Platonem neque apud Plotinum doctrinam de fine consummatam invenimus.*

Postea nequé apud Platonem neque apud Plotinum doctrinam de fine consummatam et absolutam invenimus;

variis omnibus in locis aliquid in disputatione præteritur ; nos passim reperta contrahere in corpus et conjungere sensa oportuit. Itaque solum præcipuas opiniones afferre nobis licuit. In universum æstimanti neque Plato neque Plotinus expressis verbis differentiam qua causæ efficientes e finibus distinguantur, demonstravisse videntur. Sic Plato in *Phædone* paucis ostendit verbis quatuor elementa, ut placebat Ioniis, mundum ad explicandum non sufficere ; nam physica superanda sunt; nec pluribus verbis longiore que disputatione præcipit Plotinus, quum Epicuri sententiam de mundo nobis profert. Satis habet eam ineptam et insulsam declarare ; nusquam multus est in disserendo ; nusquam res et consequentia varie conferendo et interpretando tentat explanare ; perspicuis dubia non illustrantur. Plato quoque, etiamsi finis notio frequenter in operibus adsit, tamen non omnino certa ex ratione quatuor causas definivit neque eas per comparationem enucleavit. Desiderantur illæ « honestæ » opiniones eorum qui (vide *Leges*, X) novissime philosophantes declarant universum nihil aliud esse nisi terram saxaque et qui de hoc probabiliiter disserunt. Ceterum his in variis disputationibus deest naturæ disquirendæ cura ; quum tamen notio finis ad corporalia naturalia referatur, eique penitus cognoscendæ maxime sint utilia, oporteret, ut præcepta de fine simul et objecta plâne agitarentur, Platonem e philosophia egredi et ad res animaliaque pervenire. Idem de Plotino sentimus. Ita illi duo philosophi finis notionem in angustum deduxerunt neque quidquam ad diluenda ea quæ contra finem dici poterant, proposuerunt. Haud satis longe prospexerunt.

LXV. — *De conceptione finis : non in omni causa finis inest.*

Scilicet præcipiendum erat non in omni causa finem inesse ; idcirco finis nec necessarius nec universalis mente nostra concipitur : finem ubique fieri diceremus, si hæc notio nostræ menti solummodo inhæreret, non autem rebus ipsis et earum naturæ congrueret. Adde quod, quum ea notio non universalis sit, ad aliquid separatim pertinet ; is enim solus qui intelligentia etiamque libero voluntatis arbitrio fruitur, finem sibi proponit et persecutur. Atqui solummodo nostræ mentis consilium nunquam cogitur neque vim patitur ; huic ergo proprium est fines sibi destinare ; res autem omnes aliæ, præter Deum, fatis parent neque ullum consilium suscipiunt, quamvis eæ aliquid ab alio quodam considerate prævisum frequenter contineant et quasi referant. Casus autem nec eventuum concursiones sæpius factas nec res multiplicibus nodis connexas et implicitas efficere potest.

Deinde in causa quæ finis dicitur concordant præterita cum futuris : sic matris in utero parantur ad futuram visionem oculi, scilicet procul a luce. Hoc si fortuito accidit, sane in portento habendum est ; tum scientia quæcumque et philosophia funditus negantur et subvertuntur ; portentum enim veram nullius rei rationem nobis reddit : restat ut causa quæratur.

LXVI. — *Physici non finem quærunt.*

Ceterum, prout agitur aut de animalibus plantisque aut de informi materia, non eadem erit doctrina. In legibus materiæ disquirendis, vel in physicis quæstionibus

nullo modo finis proficit; hujus apud physicos certe nulla est cura; hi non ultra efficaces movendi causas progre- diuntur. Sive in astrorum conversionibus, sive in proprietatis et vi actioneque corporum mutua, rationes motuum solummodo quæruntur et constituuntur. Quod autem pertinet ad fines quos sibi Deus proposuerit, physici et philosophi fere omnes declarant nos primum eos non reperire posse, nisi Deus nobis eos aperiret; putant etiam Deum suæ gloriae et suæ apud homines famæ non prospexit, mundum disponendo; denique docent generis humani ortum non Deo unicum finem et ultimum esse. De his autem nihil est apud Platonem et Plotinum; nihil nisi partium congruentia, omni discrimine remoto, ab his præcipitur. Nullam inter motum et finem, id est inter efficiendi motus vim et suscipiendi consilii prudentiam, distinctionem penitus descripserunt. Inde errores quidam et falsa consequentia, jam a nobis memorata.

LXVII. — *Motus fini per formulas opponitur.*

Ea distinctio sic se habet. Si motus causa efficietur, fiet nexus, sed non cognatio; omnis apparatio aberit. Atqui physici non aliud investigant; illis sufficit movendi leges et vices indicare. Ecce igitur causæ efficientis formula: a efficit b; b efficit c; c efficit d: quod accidit quum ru- pes quadam a montis mole soluta collabitur: ruit ac decurrit; montis radices sternuntur; obstructæ stagnant aquæ. Tum nec ullus finis paratus fuit, nec vere causa invenitur: quod enim præcipiti et cæco impetu trahitur, certe non causa est.

Quod si forte animal aut quemdam hominem consideramus, primum notandum est naturales corporis actions

vitam gignere: deinde, mutata ratione, yita gigni has ipsas actiones et ita vitam esse cur cibos digeramus aut spiritum hauriamus. Ergo in animali vita est causa simul et effectus; ita fit ut a gignat b, b vero gignat a. In priore causarum genere effectus a causa facile discernitur et distincte concipiatur, neque ullum consilium ullamque intelligentiam postulat. At in posteriore effectus causam continet etiamque ea continetur; vice copulantur: sic propria oculi natura visum efficit; invicem quoque oculus eam naturam ut videat, habet et ita visus ipse naturam oculi talem esse efficit; non enim sine illa visus fieret. Item de aure et auditione; item quoque de pulmone et respiratione; denique item de totius corporis partibus et vita.

Ea est causæ quæ finis dicitur vis ut, quum quædam series rerum eveniat, prima regat cunctas et quasi flectat eas ad seriem; quamobrem aliquid quadam intelligentia prævidetur.

Refert autem notare quanti momenti ponderisque sit ea in fine conjunctio; ob eam non dubitamus fini intelligentiam adesse confiteri. Atqui materia, utpote intelligentiae expers et cæco impetu abrepta, non finem continet et producit. In priore causa necessario et fortuito effectus accidit; rupes soluta et disjuncta non proruere nequibat.

LXVIII. — *Sequitur de motu fini opposito.*

Quod vero ad finem attinet, supervacuum nobis videtur ostendere hanc provisam et mutuam effectus et causæ conjunctionem non fortuiti impetus esse; nimirum quæ soſ et casus incitant, semper et sine intermissione turbantur et horæ momento arietantur; omnia tunc incident, nihil venit. Elementa in quibus corpora consistunt, casu permis-

ceri, non componi possent ; sua ad officia finesque per intelligentiam parata fuerunt. Evidem concedo vastationem e rupe provoluta illatam hujus moli et perniciati respondere. At vis illa subterranea quæ molem lente vel subito deturbavit, certe sibi nullum finem assignavit. Ea vis quæ agit movetque fortuito, conglobari sane quædam facit, non autem partes disponit ; conglobatio illa nec diu perseverare potest neque aliud requirit quam affinitatem et communes naturæ physicæ proprietates. In animali vero non solum arte certa omnia cohærent, sed etiam durant et renovantur intus nova elementa suscipiendo reparanturque. Etenim quam longo annorum spatio multis exitii pernicieive causis et adversis naturæ viribus animalia renituntur ! Vita enim perpetuo morti repugnat. Fit refectionis per respirationem et nutricatum ; quod nisi motu rationis corpus ageretur nec spiritus per partes ejus habitaret vitamque ad finem suum dirigeret, non esset alimentis congrua et temperata dispersio, non animali unitas, nec partes sua munera servarent. Hic ergo simul omnia efficiuntur et efficiunt ; omnia cohærent et continuantur. Quum finis adest, jam ille in rebus inest et quasi paratur. Quum vero fit motus et violentiæ impetus, omnia primum turbantur, postea sistunt, impetu cessante, sed nunquam collocantur. Speluncam si considerabis, vere finem non videbis. Concedo hominem eam inhabitare posse ; at fortuitus est etiam ille usus ; hunc finem concepit homo, non natura.

Interest quoque notare naturam, quum minus perfecte inchoatum animal paulatim adumbrat, tamen semper convenientiam efficere. Hoc in tribus oculorum generibus videtur, quorum singula ad videndum utilia sunt et peritam elementorum dispositionem declarant.

Frusta crederes circumfusas res inter quas animalia

vitam degunt, sufficere ad oculos aliasve animalis partes formanda. Ille res motum agunt, ordinem mutant, naturam flectunt et corrumpunt, nihil autem vere novum creare possunt.

LXIX. — *Aliam substantiæ unitatem exigit motus, aliam finis.*

Denique, si duas motus et finis causas aliam alia permiscebis, duæ quoque unitates confundentur. Motus enim proprie unitatem formæ, magnitudinis et speciei efficit ; unitas vero quæ ex physicis et intimis proprietatibus oritur, facile separatur, frangitur etiamque foramina occulta porosque continet. Contra quum provida intelligentia adest, tunc ampla et profunda fit unitas ; vis fecunda et idea creatrix spargitur ; semen progignit et varias partes continet ; mutua elementorum reciprocatio per nutritum et respirationem constituitur ; haec vero mobilitas non unitati obstat, sed contra corpus alit et dispensatis vitæ munieribus favet.

LXX. — *Ratio seminalis de qua Plotinus disserit, vere unitatem habet et fini congruit.*

Certissime hanc unitatem Plotinus intelligit, dicens per rationem seminalem animal formari. Quid melius quam ratio unum finem concipere et per eumdem vultus totiusque corporis habitum hunc finem et exemplar significare potest ? Ex ea ratione seminali officiorum congruentia finisque communitas nascuntur. Itaque Plotinum, licet interpretationem rei exiguum et multa parte claudicantem nobis offerat, finem vero melius quam Platonem descriptisse et sensisse declarare audebimus. Nihil profecto hujus in dia-

logis doctius et gravius quam hanc rationis generatricis doctrinam invenires, per quam vita providaque directio elementorum mobilitati adjungi docetur. Evidem in decimo *Legum* libro, declarat Plato omnia ad conservationem universi tendere, etiamque quatuor elementa non vere causas habenda esse. Sic ultra substantialem causam et informis materiae motum se extollit.

LXXI. — *Hac de re Plotinus Platonem superat.*

Quum vero, in *Timaeo*, præcise singulas divinæ providentiae res particulatum Deique consilia finesque describere conatur, nobis a philosophorum via rationeque deflectere videtur.

Plato animantia considerans statuere vult non solum de fine qui certe in his versatur sed de causa et numine fines efficiente. Nimurum corpus nihil nisi machinam esse valde rejicit; ab illo si quæreres utrum generatio e quadam machinatione structuraque constet an certissimos fines significet, apparebit hanc extremam ab illo sententiam doceri: aut una definitione eam quæstionem expedit; aut de hac re nobis Deum ut artificem, more humano agentem et corporalem molem manibus prehendentem eamque perdomantem fingit; aut potius a summo Dei numine Dii inferiores formare jubentur homines et animalia ut singulis corpus suum præbeatur: res tota ficta pueriliter et quam physici nunquam accipere volent; in hoc facile jocari possemus. Videndum erat et quomodo et per quid naturaliter ad exitus propositos natura pervehatur: quod certe ad fines personados maxime valet.

LXXII. — *Platonis doctrinarum duplex est origo.*

Scilicet Platonis doctrinarum duplex est origo: aliæ pythagoreæ; aliæ socraticæ. E pythagoreo fonte illas ideas quæ ad optimum progredi res efficiunt, hausit; e socratica vero schola præcepta illa fabulaque *Timæi* et *Legum* veniunt. Fallaci fatus similitudine, conjecturam ad libidinem trahit; pessime ratiocinatione usus est; repugnante natura, dialecticæ quasi vim attulit: aliud artificis opus, aliud Dei consilium. Quam mirandum naturæ spectaculum altiora et ampliora excogitata nobis dictare et subjicere debet!

Plotinus vero digniore Deo ratione philosophatur; hæc tamen in melius mutatio, non certe fit ex animo physicis attentius dedito, sed venit ex amplissima Plotini cogitatione et quasi vastitate philosophiæ.

LXXIII. — *Non satis docet Plotinus quomodo finis explicari debeat.*

At enim, dicet aliquis, philosophus est ille Plotinus. Esto. Quum vero philosophia summa sit quædam scientia et, res ad omnes relata, scrutetur omnium causas et principia, excutendum Plotino erat quantum momentum in omni re finis habeat; quærere debebat utrum Dei providentiam mundi conjunctio confirmet, necne; utrum quoque per motus efficaces et per lentam diffusamque in natura progressionem finis explicari debeat, an per providentiam superne, distinete et propria virtute agentem. Hoc extreum accipit, omni disputatione remota: supra res perituras intelligentiam collocat; cuius multiplicem et variam actionem ostendit. In hoc vere laudandus videtur, quamvis censuram jam a nobis enuntiatam, meruerit.

Nihilominus non huc decidit ut semper hoc principio insulse utatur. Hominem esse mundi unice finem non putat ; neque etiam accipit terram præcipias Totius partes occupare et ad eam omnia tendere. Esse autem quamdam universalem animam censem qua materia formetur, quæ sola vere generare queat et efficere finemque concipere. Illa quidem est et ratio et idea per generationem ubicumque diffusa ; seminalem appellat eam. Sic a Plotino confirmatur et explicatur consilium illud quod naturæ inhæret.

LXXIV. — *Attamen dicit Plotinus fines per omnem mundum diffundi, non autem finium causam.*

Nil autem melius, nostro sensu, de hoc præcipi potest. Nam Plotinus docet per omnem mundum longe lateque diffundi fines, non autem finium causam. Hanc enim animam (unde oritur vis omnium vitalis) non inter vere causas annumerat. Quod si quis ea quæ sunt sensibilia per causam supra mundum existentem explicare volet, necessario oportebit eum aliquam vim internam et ad universum pertinentem accipere, ne Deum et res omnes confundi docere cogatur. Refert enim Deum et res conciliari, non autem omnino permisceri.

LXXV. — *Apud Platonem fabulas finibus misceri.*

Nobis prorsus alia doctrina Platonis habenda es, quippe cuius vincat imaginandi vis ; fabulas a majoribus vel a Socrate vel ab Ægyptiis vel a pythagoricis traditas in corpus deducit ; Deus in illis animal humanum formare et mandata Diis inferioribus imperare dicitur ; isti vero pectus et pulmones aliasque partes efficiunt. Ex his sequitur tedium ; finis in pejus vertitur : inde recta Epicuri et epicureorum

censura. Certe scientia dignius est rationes seminales recipere ; namque primum convenient cum hoc ut in animalibus generatio fiat ; non alio modo res per omnes finis diffunditur. Deinde, quum sint rationes dictæ, cogitationem agunt et efficiunt ; inde corporis œconomia, structura, multusque finis.

LXXVI. — *Contra vero Plotini doctrina divinæ providentiae etiamque naturali historiæ respondet.*

Recentiores vero nostri philosophi cavent ne ad extremum prodeant et in fine quærendo modum excedant. In hoc apparet quædam ad pyrrhoniam negationem propensio. Attamen, si Deum esse probabis, consequens erit per quamdam animam in mundum fines a Deo diffundi. Si unquam divinam actionem, singula recensendo et in rerum tenuitatem descendendo morandoque circa eas, ostendere tentaveris, tunc sane probatam Plotini sententiam habebis. Ceterum ea doctrina historiæ naturali respondet : generatio recte putatur animalium traditio. Satis constat apud physicos parentes cum pueris vitam simul et mentem participare. Quum etiam hæc participatio cunctis in generibus appearat, fit non solum vaga similitudo sed vera rectaque de communicato in animalibus fine inductio. Adde quod, sensu Plotini, semen illud per rationem et consilium agat. Quid aliud ut finis concipiatur et efficiatur, requiri possit ? Attamen Plotinus, quamvis nostram mentem fines providere accipiat, declarat eam non per generationem re ipsa creari : primas enim habet partes, πρώτουργός ἐστιν αἴτια. (V, § 45.) Non autem de hoc, sed de fine nobis in præsenti disputacione disserendum est.

Ergo putatur a Plotino intelligentem quemdam omnia

extrinsecus parare et in universum vitam partiumque concordiam per semina profundere ; concluditur quoque totius animalis ideam partes vitæque officia disponere et producere. Hæc profecto, nostris temporibus, scientia quæ ad fœtum pertinet, confirmantur. Namque hodie compertum est fœtum, suo in incremento, a generali specie ad quoddam animal progredi. In ipso quidem utero matris (vide H. Joly, in libro *de Instinctu*) homo jam vertebrae habet ; attamen fœtus incrementum, quadam parte, nostræ scientiæ, id est intelligentiæ, simile est et convenit. Etenim nos ipsi, cujuscumque præcepta scientiæ docentes, a generali ad quoddam animal progredimur. Ergo non insulsa habenda est Plotini doctrina qua rationes seminales in animali versari præcipit. His quoque doctrina Platonis de exemplaribus æternis confirmatur.

LXXVII. — *Plotinus non præcipit finis originem in nostra conscientia versari.*

Sed nulla in *Enneade* disputatur de origine finis. Non quæritur unde nobis finis notio nascatur, quodque sit hujus firmamentum ? Scilicet nos ipsi, inscii quidem, in nostra conscientia et in nostra ratione agendi hanc notionem invenimus. Omni horæ momento nos ipsi proposita habemus, consilia suscipimus. Idcirco, Platonis et Plotini quum loca quædam indicare voluimus, primum illa quæ ad nos pertinebant, protulimus. Sed nullo modo illi philosophi ita hanc notionem explanaverunt ut nostra proposita et consilia negari oportere ostenderent, si prorsus finis ipse negaretur. Etenim, posito fine, ponitur et intelligentia ; sublato autem fine, tollitur et intelligentia. Atqui nulla alia, nisi nostra, intelligentia a nobis in usu vere

noscitur. Putamus ergo consequens fore fines neganti, ut etiam in hominis mente omnino nullam intelligentiam nullamque consilii vim admittat, libertatemque nostram negare debeat, quippe libero arbitrio utentes, proposita suscipimus.

LXXVIII. — *A chao leges, id est fines, necessario fuerunt.*

Adde quod necesse sit animalia jam bene constituta a principio exstisset ; quod nisi esset, nulla animalia unquam formata fuissent, frustraque inter se elementa concurrissent ; nihil aliud quam id quod venti luctantes, effecissent. Hoc etiam addamus scilicet ut certe noster orbis terrarum, leges naturæ sequendo, progressus sit a chao materiæque informitate in hunc hodiernum habitum. At refert notare leges illas jam finem declarare, nam si quem in materia instinctum et ad ordinem quasi impulsum quemdam inesse dicis, jam finem fere invitus accipis. Chaos enim solum confusionem efficeret omniaque in unum mersa retineret. Hæc sane præcipere Plotinus volebat quum igneum non sua vi fieri declararet materiam. Sic Dei bonitati Cartesius et Newto motuum ipsorum universi leges adjudicabant. Sed hanc extremam sententiam non omnino probamus. Sufficiat nobis admittere veram rerum confusionem, sublatis finibus, faciendam fuisse, namque prima adhuc confusio permaneret.

LXXIX. — *Explicatur quid Platonis Plotinoque de finibus naturæ desit.*

Oportuerat quoque Platonem et Plotinum finium exitus et eventus apud animalia planius describere. Etenim sex

finis probationes distinctæ et certæ sunt in animalibus enumerandæ.

Apparet primum diligens singularium partium accommodatio suum ad officium, ut in oculo ad videndum, in corde ad sanguinem per venas diffundendum. Secundo cernitur partium convenientia cum circumfusis rebus, ut in pulmonum structura reciprocandam ad animam nec non in branchiarum constitutione ad respirationem in aquis faciendam, aut in alarum forma ut in cœlum volaretur etiamque in piscium brachiis ut aqua nataretur. Tertia videtur mutua partium inter se congruentia, ut appareat in dentibus optime ossibus aptatis. Quarto notemus reciprocam sexuum actionem, in qua profecto manifestissimus etiamque ambobus in animalibus finis ante oculos eminet; quis vero materiam suas per proprietates physicas et intimas perque movendi causam, sine ulla cogitante substantia, sese ad certa generationis officia formavisse et paravisse contenderet? Etenim hac in re duplex et distinctus est finis; suam operam mas habet; idem est de femina. Quod si forte materiam nescio quid et quomodo cogitare incertaque propensione ad finem bonum tendere et grassari dices, tu materiæ quiddam omnino alienum inscius adjunges; hoc verbo abusus, materiæ vim intellectualem assignabis. Liquet ergo Plotinum, quamvis non plures nec varios finis efficiendi modos enumeret, tamen altissime et rectissime, rationes seminales recipiendo, sensisse.

Nec satis est: quinto considerare oportet mammas lacte repletas (id est generationis consequentiam novamque finium seriem), et sexto plurima solertiae et industriae genera, quibus utuntur animalia, ut castores, apes et aves: ibi quidem eo manifestior est finis quo restrictior et cæcior impetus.

LXXX. — *Res mediae non ad fines instinctus explicando sufficiunt.*

At enim, dicet aliquis, instinctus ille a corporis partibus ducit originem; partes autem illæ paulatim materia rebus mediis mutata formantur. Huic doctrinæ breviter respondebimus (vide supra n° 69) materiae neque vim neque intelligentiam inhærere; ergo materia non proprios motus per se efficere potest, neque partes perite componere. Postea res mediæ in quibus quocumque animal versatur potius partes corporis immutant aut corrumpunt quam formare et creare aliquid muneris in corpore possunt. Ceterum illa ipsa animalium propensio ad id ut sese aliquando accommodent ad medias res, finis etiam certissimus habenda est. Quod si animalia neque cæco impetu violentaque ad generationem electione, neque strenuo ad vivendum concursu formari potuerint, dic mihi quæ sit in animalibus origo vitæ. Nonne evidenter tunc finis appetit?

Hæc diversa colligentes, nos quod Platonis et Plotino decesset ostendimus et quo posterior priorem superaret.

LXXXI. — *Num mundi concordia fines certos et scientia cognitos probat?*

Venio nunc ad argumentum quod ambo illi philosophi prædicare solent; dico naturalium rerum conjunctionem et mundi concordiam. Docetur, in decimo *Legum* libro, cœli conversionibus intelligentiam præesse, in *Timæo* universum ex æterno exemplari formari atque in Parmenide hoc insigne exemplar in ideis consistere dicitur. Quot autem et quanta in Plotino loca de naturæ magnificentia et consensione! Memoria repetamus multa inter alia, verba illa sonora quibus, in tertia *Enneade*, mundus ipse suam

originem altissimam, mirabilemque astrorum congruentiam celebrat. Quae quum ita sint, nostra refert quid illud argumentum dialectice valeat statuere, eo quod in vulgus magis id probatur quam ea ratio quae in partibus animalium aptatis fundatur. Quis enim nostrum non oculos ad cœlum erexit? Quis ingentem stellarum numerum non contemplatus est? Quasi liber quidam curiosis hominibus semper patens, natura habenda est.

LXXXII. — *Plato et Plotinus non finem externum ab interno distinxerunt*

At si quis hoc argumentum vere ac dilucide ponderare velit, illius refert duos fines discernere, modo finem internum, modo externum: quod tamen neque Plato neque Plotinus distinguendum curaverunt. Finis internus in una reversatur, cujus partes cohærent et suum officium præstant; id apparet in sex exemplis quae supra memoravimus, nam finis oculo inhærens internus est.

Age vero, considera quid fiat quum ex duabus rebus una alteri prosit aut altera utatur, licet manifestum videatur unam ad alteram nec formari nec disponi. Num ista utilitas vere finis erit? Ne res anceps maneret, certe convenientiam his in duabus rebus notari oporteret, ut in reciproca sexuum formatione. Num enim fluvii sunt ad eum finem ut facilius commercium exerceatur? Attamen nobis fluvii prosunt.

Deinde terrane suum occupet locum ut solis ardores agros calefaciant et mitigando fecundent, in incerto ponitur. Ergo prius finium genus solummodo nobis aliquid ponderis habet; nec immerito epicurei finem qui ad utilitatem spectat, fastidiverunt.

LXXXIII. — *Num mundus est animal quoddam finem internum continens? Num ad finem declarandum ordo sufficit?*

Nunc autem quærere est num dispositiones astrorum et conversiones mutuaque spatia nec non reciproca actio attrahendique vis mundum corpus unum animalque esse immensum faciant. Num finis internus universitati rerum, ut oculis, inest?

Hic certe non sufficit ordo; necesse est enim nos finem significari reipsa videre, ne quis error propter nostram imaginandi vim insinuet animis. Plotinus quidem et alexandri philosophi quibus recentiores neoplatonicos, inter quos Jordano Bruno, adjungere licet, hoc scilicet ut mundus sit animal quoddam, omnes uno ore recipiunt. Contra vero neque physici neque astrologi hac de unitate immensoque fine cogitant et curant. Pythagoras enim, vir sagacis animi, a terra ad lunam centum viginti sex millia stadiorum esse collegit; ab ea ad Mercurium, spatii ejus dimidium, et ab eo ad Venerem, tantumdem; a qua ad solem sescuplum; a sole ad Martem quantum ad lunam a terra. At quare sit ullus eorum spatiorum finis, nihil certum præcepit. Luna terræ satelles dicitur; sed suam sedem, ut terram custodiat, non tenet; hoc nemo doctus negare auderet. Contra animantium in natura inquisidores declarant finem sua in scientia assignari posse; id probant etiam philosophi, inter quos Leibnizius; non enim animalis partem noscere possumus, nisi finem effectum distincte dispiciamus; imperfecta sane scientia esset, quippe in quadam animalis parte forma, calor, textura carnalis, liquida solidaque elementa bene mixta, omnia denique certissimum finem indicant. Alia est autem physicorum ratio: quibus, ut

Baco et Cartesius præceperunt, finium disquisitio sterilis fit. Hoc nobis gravissimum videtur; ita etiam censemus ut reipsa nullus vere finis in consideranda rerum universitate notari possit. Aristoteles quidem in *Physica* declaravit « naturam nihil frustra agere. » At solum de finibus qui ex natura singulorum constent locutus est. Itaque non alias quam in sua historia naturali hac notitia perpetuo et opportune usus est. Quod ad cœli Totiusque rationem spectat, non eam, ut Plato Plotinusque, cogitatione a priori stabilivit: ante omnia, naturæ speculator et indagator Aristoteles putandus est. Non in physicis rationem quæ metaphysicæ convenit, adhibet. Eodem modo contendimus nullum finem, si varia sidera consideres, in rerum universitate re ipsa et certo apparere. Res autem parvula quædam fereque effugiens oculos mihi apertius opificis artem denotat.

LXXXIV. — *De universo, nisi a parte priori, finis decerni potest.*

Sed de universo non, nisi a parte priori, finis decerni potest. Nullus est profecto astrologus qui certissimum munus astris assignare audeat, quique illa locum, ob finem prævisum, occupare contendat. Sol quidem terrarum orbem calefacit et secunditatem diffundit: num vero tale opus illi imponitur? Hoc astrologi si statuere et probare quirent, certe facerent et sic naturalem historiam imitarentur.

Exempla proferamus: nostris in terris vivunt animalia; vivunt et homines cogitantque; sed luna, utpote saxo sterili similis, nullus gignit animantes. Quis autem præsentiam vita simul et privationem quemdam ad finem tendere

affirmabit? Hæc enim inter se pugnant. Fateor tamen multas, ut oriatur vita, conditiones necessario requiri nostrisque in terris apparere. Etenim, ut quodam in sidere animalia fiant, oportet cœli naturam temperari et solem radios emittere, et libramentum axemque satis in planam circuli dimensionem inclinari, et molem aquarum existere quibus non totus orbis obruatur, et satis rapide sidus circumferri, et aerem superfundi quo luce temperentur ardores, noctu vero frigus nimium non exoriatur. Ergo non simplex et aperta res est. Has conditiones in Marte Venereque, ut in Terra, versari in conjectura probabile est; in Luna vero eas non adesse certum est.

LXXXV. — *Astrologi non de terra fines requirunt.*

His positis, anquiramus sitne certus in illis conditionibus finis et consilium; postea, generatim amplectentes omnia, quaeramus etiam an cujusque sideris collocatio finem significare queat. Primum singularem et propriam quæstionem instituentes, dubitare audeamus quin solis lumen fulgeat et Terræ natura constituatur ut homines et animalia pariantur, foveantur alanturque. Hæc autem dubitatio eo propius fidem et scientiam est quod nostris in terris cœli temperatio mediæque res homini animalibusque gignendis et nutriendis una simul faveant nec non et noceant. Quam multi flores, quam multa pereunt animalia! Ea quæ gignuntur, ludibrio habere natura videtur. Nocent animantibus tempestatum injuriæ, montes ardentes, terrarum motus et famæ; nocent præsertim animalia: ea est naturæ lex ut quæ terra parit aut quæ vivunt mutuo alia aliis alimentum suppeditent. Id etiam considerare velis hominem, si merito terrarum rex habendus sit, patientia quoque et peritia eas antea, viciisse

et domuisse. Fuit olim tempus quum multæ hominum ætates maximos ad lætas segetes faciendas labores perpessæ sunt. Hi quos nunc admiramur fructus, frumentum et vitis, potius hominum opera quam naturaliter nascuntur. Exiles sunt incultæ rosæ, parum olent et mox folia deperdunt. Ex quo potest probabiliter confici nullum finem evidenter ostendi : dubitandum est num terrarum orbis ita collocatus fuerit ut sole fecundaretur ; at certum est sole terram fecundari. Quod idem de aliis sideribus fit.

Ceterum Janet (1) dicit positionem solis in medio universi, accommodatissimam ad calorem et lumen profunda, per machinales motus quibus nebulosum sidus agitaretur, explicari verisimiliter posse. Addit etiam omnem ordinem (ut jam diximus, § 84) non necessario finem nobis indicare ; refert enim diligenter et plane finem ostendi ; refert omnino res explorari, deinde naturæ quasi proposita constitui. Ergo, ut exemplum proferamus, errat qui putat lunam bene disponi ad orbem terrarum collustrandum : quod tamen a nostro Fenelone docetur, *Exist. Dei*, 1^a pars.

LXXXVI. — *Regulæ de finibus notandis observandæ.*

Si vero corporis partes inspexerimus, manifestior convenientia videbitur. In oculo omnia cohaerent ; nihil visioni repugnat. Nunquam machinalis movendi causa ad oculum formandum sufficisset. Neque solis ardore, nec justa terræ collocatio, nec mediae res, neque aer superfusus satis valerent ; necesse est quoddam semen et intellectuale principium inesse, quod mediis rebus sese accommodet, et, per temporum rerumque varietates, unitatem exemplaris vitæ-

(1) *Des Causes finales*, p. 194 et 217.

que munerum congruentiam conservet et finem supremum prævideat atque efficiat.

Nunc ergo operæ pretium erit formulas per quas finis nullo modo dubitetur, constituere. Primum expediet rerum naturam notare servareque, et id sine finis alicujus consideratione ; satis erit proprietates motusque leges causasque efficientes primum pernoscere. Deinde, quum movendi causa nihil movebit nisi qua intelligentia mobilitatem direxerit, notandum erit an res illæ corporisve partes sibi constent, numque eveniant aliquæ exceptiones aut res contrariae et impedimenta obstent. Quodcumque fini cuidam repugnat, aut nullum esse finem aut res cæco impetu ad bonum et concordiam tendere, aut res quasdam fortuito prodesse et ad utilitatem improvisam verti, nobis probare videtur. His duobus servatis, vestigia Socratis, Platonis et Plotini sequamur et ponamus finem internum in animalibus manifestum videri, causamque supremam et intelligentiam bonitate auctam exsistere. Quod autem ad rerum universitatem spectat, nullus sane, natura dictante, indubitatus finis assignari potest : in cœli conversionibus ordo quidem, non autem vere finis apparent.

Scilicet hoc nullo modo significatur non esse Deum, nam motus ille causam tamen supremam et mundi creatorem requirit. Astrorum collocatio variique et rati ambitus aut defectiones vel e mutua attrahendi vi vel e physicis proprietatibus et reciproco pondere solummodo oriri possunt : Deum demonstrant, non Providentiam. Haud aliud, nostro sensu, præcepit Tullius (*de Natura Deorum*, II, 37) quum, præclaram Aristotelis sententiam memorans, hæc dicit : « Cœlum totum cernimus astris distinctum et ornatum, lunæque luminum varietatem tum crescentis, tum senescentis, eorumque omnium ortus et occasus, atque in

omni æternitate ratos immutabilesque cursus, tum profecto et esse deos et hæc tanta opera deorum esse arbitramur. » Dicit « ornatum », « ratos » Tullius ; sed his verbis non certum finem vere significat. Quod sane desideratur. Deinde figurata dictione usus fuit : nemo astrologus ornamentum terræ lunam præbere contendit. At contra de animalis partibus et vitæ officiis certissimus et facillime finis ostenditur : in oculis nihil obstat visioni.

LXXXVII. — *Nostram opinionem de universi negando
fine Cartesius probat*

Naturæ quidem spectaculum nos attonitos habet. Nobis cœli conversionum et motuum series causam denotat ; sed neque consilium, neque sapientiam et bonitatem manifestam ostendit. Quum hæc asserimus, nimirum nobis cum Cartesio nostro convenit. Etenim quadam in epistola (VIII, p. 280, edit. V. Cous.), sic opinionem suam exposuit : « Propter hunc mirabilem cujusque plantarum et animalium partis usum, dignum est manum mirari Dei qui res istas fecit, opificemque laudare ob opera cognita, sed non licet finem propter quem singula fecit, augurari. In physicis, ubi quæque res firmissimis rationibus fundari debet, hoc ineptum esset. »

LXXXVIII. — *Plato Plotinum superat de finibus rerum
futurarum.*

Multum abest ut Plato præsertimque Plotinus talem prudentiam imitentur ; quorum hic adeo ample et, ut ita dicam, adeo perverse finem recipit ut scientiam auguratus rerumque futurarum præsensionem approbet. Inde finium ratio in signorum seriem convertitur. Nos eum recta de

via omnino deduci credimus, quippe voluntatem more humano proditam in rebus versari contendit. Hac de re Plotino præstat Plato. Constat enim Socratis discipulum non sui magistri vestigiis de præsagiis Deorum instituisse. Nusquam assentit Socrati primo in libro *Commentariorum Xenophontis* dicenti Deos nobis voluntates suas declarare posse, at oportere eos solum de rebus dubiis interrogari, non autem de illis quas nostra scientia peritiaque ad felicem exitum adducunt. Ideo hac de finis notione Socratem Plotinus secutus est, non vero Platonem.

Ceterum notare licet Plotini de divinatione sententiam cum ipsius de Diis inferioribus doctrina concordare : non alio modo, Plotini sensu, suam potentiam denotant. Nobis sufficiat declarare divinationem in eo ut finis notio perverse, incaute et indigne Deo adhibeatur, consistere. (Vide supra § 49 et 50.)

LXXXIX. — *Plato et Plotinus non eodem modo consequentia
concludunt.*

Quamvis apud Platonem et Plotinum res omissas aut inopinatas aut dubitables invenerimus, profitemur tamen ambos quod in fine et in rerum consilio præcipuum est, recepisse. At non eodem modo consequentia concludunt. Plato graviorem et in sententiis parciorem se præbet ; sic melius philosophi partes gerit : ei sublime ingenium simulque firmissimum inest. Plotinus vero concitatores religionis pietatisque sensus percipit ; magno animi impetu docet, sacra, divinaque spirans. In eo stabilior et acrior de Providentia opinio fidesque emicat et confirmatur. Invenias in Platone Alexandrinorum quasi materiam inchoatamque eorum theologiæ conceptionem. Illi Dii de quibus in *Timæo*

sermo est, mediae inter mundum et Deum causæ habendi sunt; conficiunt ea quæ superior Deus excogitavit: sic ad effectum certissimos bonosque fines adducunt. Non aliud secunda illa hypostasis quæ anima dicitur, apud Plotinum agit. Sed latius patent Plotini disciplinæ meliusque sibi constant. E spectaculo rerum sensibilium ad finem supremum primamque causam sublimi modo assurgit. Eorum quæ sub sensu subjecta sunt cognitio et pulchritudo ad altissimam pulchritudinem et reipsa vivam existentemque, eum evehunt: quæ altissima pulchritudo omnium vere finis est.

Jam antea Platonii Anaxagoras iter fecerat, sed quantum abest incertis mentis quæ vobis dicitur notitia ab illa firmiore amplioreque de intelligenti bonoque Deo doctrina, quam Plato præcepit; deinde in Plotino cernitur quidam ingenii quasi æstus ad Deum evehens et rapiens: cedit dialectica religioni. Quum Plato sese in sacrarium numinis penetrare nequiret (nam « difficile est mundi auctorem patremque reperire et manifestum ostendere »), Plotinus contra non incertus animi sed quasi eborius Deo tres numinis hypostases describere conatur. Quam ulterius progreditur!

XC. — Finis ad Deum unum et creatorem nos evehere debet.

Plotinus certe superat Platonem, quum profectus ab illa intelligentia quæ sibi fines assignat, Unitatem supremam et immotam stare concipit docetque. De hoc Plotini doctrina magis cohæret et præclare sibi constans appetet; primam enim hypostasim τὸν ἐν ἀπλοῦ appellat. Unitas vero ad finem suscipiendum exigitur; res multiplex passim dispergitur

neque consilii continuitatem propositorumque seriem permanere sinit: omnia fortuito fluunt et finis elabitus. Ut in humana mente, sic in divina substantia, finis unitatem postulat.

Sed neque Plato neque Plotinus hanc aliam de Deo sententiam, scilicet ut mundum vere et sine re aliena creavisset, conclusisse naturæ ex finibus videntur. Haud quidem in Deo potentiam negaverunt, sed eam non omnino probaverunt et nihil clare de præcipuo illius modo tradiderunt. Atqui nobis eae sunt vis et gravitas causæ quæ finis appellatur, ut non solum naturæ investigationi pretium et pondus addat et gradatim ad Dei majestatem et sapientiam nos erigat, sed quoque hanc sententiam, Deum scilicet vere funditusque creatorem esse, necessariam et dialecticæ convenientem, invito Kantio, efficiat. Ille enim qui, ut mundi concordiam præparet, sua voluntate confingere materiam potest, summo quoque dominatu eam tenere debet; materia est reipsa principium et solus eam existere fecit: omnis materia omnino de existendo libera et sui potens, libera quoque erit de variis existendi modis et proprietatibus. Si materiam a Deo solum formari et quasi manu tractari voles, Deus illi obtemperare debet; quæ certe obtemperatio necessarie fiet, si materia erit coæterna et sibi ipsi sufficiens. Tum quantula esset finis auctoritas! Quantulum esset divinæ prævidentiae pondus! Haud alio more quam signorum fictoris, Deus se gessisset.

Nunc autem audias quod pluris quam omnia. Nimurum Platonem et Plotinum quod ad præstantem de optimo universi statu doctrinam assurrexerunt, plenissime et fere sine exceptione laudandos esse putamus.

XCI. — *Plotinus non esse in Deo necessitatem accipit; nisi
Dei libertas esset, non vere fines in mundo apparerent*

Ad id confirmandum, hoc primum jam ponamus Plotinum, contra ac plerique docent, quamdam in Deo necessitatem fatumque ineluctabile versari non vere contendere. Nam multis in locis quos antea memoravimus manifestam ac evidentissimam nostri arbitrii libertatem declarat: communis sensu fretus, constanter eam repetit, 3^e *Enn.*, ch. I, § 4 et 7; 3^e *Enn.*, ch. II, § 9. Non illi quidem multum operæ dedit, nec peculiariter diligenterque de illa disputavit; hujus rei omnem observationem non excussit. Ceterum quod de cœlesti spiritu per mundi partes descendente et ex natura divina delibato edocuit, nostræ libertati contrarium videtur. Nos tamen stoicos, utpote omnia fato contineri dicentes, non vero Plotinum, negavisse libertatem putabimus; idem de Spinosa; sed idem non de Plotino contendemus. Sic Leibnizius, quamvis animum nostrum machinam esse quamdam incorporalem bis declarat (1), tamen nec liberum hominis arbitrium, nostro sensu, omnino negat, nec Deum et res naturæ fato necessitateque coerceri docet. Plotinus quoque, licet omnia in mundo conjungi declaraverit, tamen neque apud nos, neque in rerum universitate, fortuito impetu violentiaque omnia impelli censet. Quod sane, quum de optimi rerum status doctrina agitur, gravissimum est. Nam libertas hominis ad ipsam Dei libertatem nos evenhit; hac vero negata, falsa certe et vana de optima mundi conditione deduceretur sententia: omnia cæca et sui nescia necessitate vel casu evenirent quasique vinculo

(1) *Théodicie.*

adstringerentur; sic fines in natura propositi sine consilio Providentiae efficerentur.

XCII. — *Plotinus Platonem superat de optimo rerum statu, id est de supremo fine concipiendo.*

Plotinus igitur hanc optimam universi conditionem alio modo profitetur. Quid enim sibi vult naturæ conjunctio et magnificentia spectaculi, nisi omnes in optimo statu res esse ostendat? Hic est rerum supremus finis; sic omnia tendunt ad Bonum et huc progrediuntur. Refert etiam mirabilem Platonis Plotinique hac de re consensionem notare; ambo naturæ finibus subnixi, numen nomine Bonum appellant, quippe bona mens et benigna voluntas universis simulque singulis rebus præsident easque gubernat. «Quum mihi præsenti objicietur, inquit Plato, *Republ.* II, Deum qui bonus est, cuiquam malum attulisse, omniope infitari audebo.....» Item in libro sexto *Reipublicæ*, sol ille quem extra cavernam philosophus contemplari debet, Bonum est; scilicet Deus. Deinde in decimo *Legum* omne animal, quantulum id cumque est, ad rerum consensionem et harmoniam aliqua parte conjungi et referri dicit. Caveamus, inquit, ne et tibi et Toti optimum ignoremus. Deus ita egit ut, in cujuscumque partis dispositione, virtus valeret, malum autem vinceretur. Sed permisit nostram libere de nobis voluntatem statuere. Tali ratione Plato optimum mundi statum recipit et simul quam late pateat et quæ sit illius conditio, scilicet libertas, intelligit.

Plotinus vero verbis expressioribus utitur. Sæpius tamen errat. Ille enim philosophus cui placent auguria, suam de optima rerum conditione doctrinam aliquando frigidis rationibus confirmat. Putat carceres, bella, pestilentiam

ipsamque mortem bonum ad finem tendere; inde inquit, non hominum multitudo nimium augetur et tantum abest ut mors malum sit ut homines eam sibi spectaculo præbeant. Hæc doctrina neque vera neque satis ampla nobis videtur; non omnino cum finibus Providentiae congruit.

XIII. — *Optimum non immobile habendum est.*

Attamen Plotinus ille, in loco tertiae *Enneadis*, II, § 13, consultissimam de fine supremo et de optimo rerum statu sententiam dilucide meliusque Platone enuntiavit: «Est adhuc quædam gravis consideratio nec certe spernenda, scilicet ut non solum præsentia circumspicere sufficiat; oportet etiam ætatum præteritarum simulque futuri rationem habere, ut, quomodo Deus justitiam dispensem, apparet.» Errat enim qui putat hanc universo præsenti doctrinam adscribi posse: universum, quale nunc est, nec terminum nec mensuram nec modum immensæ finium seriei imponere vel optimum circumscriberè potest; repugnabit si perfectioni infinitæ finem atque institutionem statues. Convenit ergo docere optimum mundi statum in processu ad perfectionem infinito et quasi immenso consistere. Plotino cum nobis convenienter, rejiciamus omne optimum stabile et immotum.

XIV. — *conclusio.*

Ea est summa et magnificentissima cogitatio ad quam finium naturæ animadversio hos philosophos adduxerit:

Concipiamus ergo primum existere humanam intelligentiam: hæc notiones componit et ratiocinationes adhibet:

Supra autem eminet intelligentia divina, cui visio certissima veri creandique vis inest. Infra vero cæcus et violens bestiarum instinctus neconon instinctu cæcior naturæ conjunctio. Atqui tribus in his intelligentiæ modis fines ad sunt. Non autem Deum prævidere et parare fines vere dici potest: una enim et eadem actione simul res et rerum concordiam concipit, vult et efficit.

DE FINE

LOCA E PLATONE EXCERPTA

1. — Πλάτων μὲν οὖν περὶ τῶν ζητουμένων οὕτω διώρισεν· φανερὸν δ' ἐκ τῶν ειρημένων δτι δυοῖν αἰτίαιν ἔστι μόνον κεχρημένος τῇ τε τοῦ τί ἔστι καὶ τῇ κατὰ τὴν ὅλην. (Aristote, *Métaph.*, I, c. VI.)

2. — Ὁτι μὲν οὖν δρθῶς διώρισται περὶ τῶν αἰτίων, καὶ πόσα καὶ ποῖα, μαρτυρεῖν ἑοίκασιν ἡμῖν καὶ οὗτοι πάντες, οὐ δυνάμενοι θιγεῖν ἄλλης αἰτίας. (Aristote, *Métaph.*, I, c. VII.)

3. — Καὶ ἡγησάμην τόν γε νοῦν κοσμοῦντα πάντα κοσμεῖν καὶ ἔκαστον τιθέναι ταύτη, δπη ἀν βέλτιστ' ἔχῃ. (*Phédon*, XLVI, p. 76, édition Firmin Didot.)

4. — Ορῶ ἀνδρα τῷ μὲν νῷ οὐδὲν χρώμενον οὐδέ τινας αἰτίας ἐπαιτιώμενον εἰς τὸ διακοσμεῖν τὰ πράγματα, ἀέρας δὲ καὶ αἰθέρας καὶ ὕδατα αἰτιώμενον καὶ ἄλλα πολλὰ καὶ ἀτοπα. (*Phédon*, XLVII, p. 77, édition Firmin Didot.)

5. — Σω. Ἐστὸν δή τινε δύο, τὸ μὲν αὐτὸ καθ' αὐτὸ, τὸ δ' ἀεὶ ἐφέμενον ἄλλον· τὸ μὲν σεμνότατον ἀεὶ πεφυκός, τὸ δ' ἐλλιπὲς ἔκείνου... τὸ μὲν ἔνεκα του τῶν ὄντων ἔστ' ἀεὶ, τὸ δ' οὐ χάριν ἔκάστοτε τὸ τινὸς ἔνεκα γιγνόμενον ἀεὶ γίγνεται. (*Philèbe*, XXXIII, p. 430 de l'édition Firmin Didot.)

6. — Ὁ δή μοι φαίνονται ψηλαφῶντες οἱ πολλοὶ ὥσπερ ἐν σκότῳ. (*Phédon*, XLVII, p. 78, éd. F. D.)

7. — Διὸ δὴ καὶ δέ μὲν τις δίνην περιτιθεὶς τῇ γῇ ὑπὸ τοῦ οὐρανοῦ μένειν δὴ ποιεῖ τὴν γῆν, δ' ὁσπερ καρδόποι πλατείᾳ βάθρον τὸν ἀέρα ὑπερεῖται. (*Phédon*, XLVII, p. 78, éd. F. D.)

8. — Μεμιγμένη γὰρ οὖν ἡ τοῦδε τοῦ κόσμου γένεσις ἐξ ἀνάγκης τε καὶ νῦν συστάσεως ἐγενήθη. (*Timée*, 48, p. 216, éd. F. D.)

9. — Ἄρα φήσομεν τὴν φύσιν αὐτὰ γεννᾶν ἀπό τινος αἰτίας αὐτομάτης καὶ ἄνευ διανοίας φυσύσης, ἢ μητὲ λόγου τε καὶ ἐπιστήμης θείας ἀπὸ θεοῦ γιγνομένης; (*Sophiste*, 49, p. 200, éd. F. D.)

10. — Πότερον πλοίων ναυπηγίαν ἔνεκα φῆς γίγνεσθαι μᾶλλον ἢ πλοία ἔνεκα ναυπηγίας; (*Philebe*, 54, p. 431, éd. F. D.)

11. — Φημὶ δὴ γενέσεως μὲν ἔνεκα φάρμακά τε καὶ πάντ' ὄργανα καὶ πᾶσαν ὅλην παρατίθεσθαι πᾶσιν, ἔκαστην δὲ γένεσιν ἀλλοι ἀλλης αὐσίας τινὸς ἔκάστης ἔνεκα γίγνεσθαι. (*Philebe*, 54, p. 431, éd. F. D.)

12. — Εἴ βούλει ἴδειν τοὺς ζωγράφους, τοὺς οἰκοδόμους, τοὺς ναυπηγὸν, ὅντινα βούλει αὐτῶν, ὃς εἰς τὰξιν τιν' ἔκαστος ἔκαστον τίθησιν δ' ἄν τιθῇ, καὶ προσαναγκάζει τὸ ἔτερον τῷ ἔτέρῳ πρέπον τ' εἶναι καὶ ἀρμότειν, ἔως δὲ τὸ ἄπαν συστήσηται τεταγμένον τε καὶ κεκοσμημένον πρᾶγμα, καὶ οἱ περὶ τὸ σῶμα παιδοτρίβαι τε καὶ ιατροί, κοσμοῦσι που τὸ σῶμα καὶ συντάττουσιν. (*Gorgias*, 59, p. 369, éd. F. D.)

13. — Ἡμᾶς μὲν που καὶ τὰλλα ζῷα, καὶ ἐξ ἓν τὰ πεφυκότ' ἔστι, πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ τὰ τούτων ἀδελφά θεοῦ γεννήματα πάντ' ἵσμεν αὐτὰ ἀπειργασμένα ἔκαστα..... τί δὲ τὴν ἡμετέραν τέχνην; Ἀρ' οὐκ αὐτὴν μὲν οἰκίαν οἰκοδομικὴ φήσομεν ποιεῖν. (*Sophiste*, 50, p. 200 et 201, éd. F. D.)

14. — "Ο δὴ διώχει μὲν ἀπασα ψυχὴ καὶ τούτου ἔνεκα πάντα πράττει ἀπομαντευομένη τι εἶναι, ἀποροῦσα δὲ καὶ οὐκ ἔχουσα λαθεῖν ίκανός, τί ποτ' ἔστιν. (*Républ.*, VI, 505, p. 119, éd. F. D.)

15. — Τὸ δὲ περὶ τοῦ κυριωτάτου παρ' ἡμῖν ψυχῆς εἰδῶν διανοεῖσθαι δεῖ τῇδε, ὡς ἄρα αὐτὸ δαιμόνα θεὸς ἔκάστῳ δέδωκε, τοῦτο, δ' δὴ φαμεν οἰκεῖν μὲν ἡμῶν ἐπ' ἀκρῷ τῷ σωματι, πρὸς δὲ τὴν ἐν οὐρανῷ ἔνγενειαν ἀπὸ γῆς ἡμᾶς αἱρειν ὡς ὅντας φυτὸν οὐκ ἔγγειον, ἀλλὰ οὐράνιον δρθότατα λέγοντες. (*Timée*, 90, p. 247, éd. F. D.)

16. — Τοῦτ' ἐν μὲν τοῖς παρ' ἡμῖν ψυχήν τε παρέχον καὶ σωματικίαν ἐμποιοῦν καὶ πταισάντος σωμάτος ιατρικὴν καὶ ἐν ἀλλοις ἀλλα ξυντιθὲν καὶ ἀκούμενον. (*Philebe*, 30, p. 412, éd. F. D.)

17. — Ἡ καὶ ἔθελήσεις δομολογεῖν, & δι' ἔτέρας δυνάμεως αἰσθάνει, ἀδύνατον εἶναι δι' ἀλλης ταῦτ' αἰσθέσθαι, οἷον δὲ δι' ἀκοῆς δι' ὄψεως, ἢ & δι' ὄψεως δὲ ἀκοῆς; (*Théétète*, 185, p. 142, éd. F. D.)

18. — Διὰ ταῦτα δὴ σεΐσμονι μιαίνειν τὸ θεῖον, ὅτι μὴ πᾶσα ἣν ἀνάγκη, χωρὶς ἔκεινου κατοικίζουσιν εἰς ἀλλην τοῦ σώματος οἰκησιν τὸ θυητὸν, Ισθμὸν καὶ ὅρον διοικοδομήσαντες τῆς τε κεφαλῆς καὶ τοῦ στήθους, αὐχένα μεταξὺ τιθέντες, ἵν' ἔη χωρίς· ἐν δὴ τοῖς στήθεσι καὶ τῷ καλουσμένῳ θύρακι τὸ τῆς ψυχῆς θυητὸν γένος ἐνέδουν· καὶ ἐπειδὴ τὸ μὲν ἀμεινον αὐτῆς, τὸ δὲ χειρὸν ἐπεφύκει, διοικοδομοῦσι τοῦ θύρακος αὖ τὸ κύτος..... κατώκισαν ἐγγυτέρω τῆς κεφαλῆς μεταξὺ τῶν φρενῶν τε καὶ αὐχένος, ἵνα τοῦ λόγου κατήκοον δν κοινῆ μετ' ἔκεινου βίᾳ τὸ τῶν ἐπιθυμιῶν κατέχοι γένος, δόπτ' ἐκ τῆς ἀκροπόλεως τῷ τ' ἐπιτάγματι καὶ λόγῳ μηδαμῆ πειθεῖσθαι ἐκὸν ἔθελοι· τὴν δὲ δὴ καρδίαν ἀμμα τῶν φλεβῶν καὶ πηγὴν τοῦ περιφερομένου κατὰ πάντα τὰ μέλη σφοδρῶς αἰματος εἰς τὴν δορυφορικὴν οἰκησιν κατέστησαν, ἵνα δτε ζέστει τὸ τοῦ θυμοῦ μένος τοῦ λόγου παραγγείλαντος, δις τις ἀδικος περὶ αὐτὰ γίγνεται πρᾶξις ἔζωθεν δὲ καὶ τις ἀπὸ τῶν ἐνδοθεν ἐπιθυμιῶν, δέέως διὰ πάντων τῶν στενωπῶν πᾶν δσον αἰσθητικὸν ἐν τῷ σωματι τῶν τε παρακελεύσεων καὶ ἀπειλῶν αἰσθανόμενον γίγνοιτο ἐπτήκοον καὶ ἐποιτο πάντη. (*Timée*, 69, 70, *passim*, p. 232 et 233, éd. F. D.)

19. — Τὴν δὲ δὴ τοῦ στόματος ἡμῶν δύναμιν δδοῦσι καὶ γλώττη καὶ χείλεσιν ἔνεκα τῶν ἀναγκαίων καὶ τῶν ἀρίστων διεκόσμησαν οἱ διακομοῦντες δηδὲ νῦν διατέτακται, τὴν μὲν εἰσοδον τῶν ἀναγκαίων μηχανῶμενοι χάριν, τὴν δὲ ἔξοδον τῶν ἀρίστων· ἀναγκαῖον μὲν γὰρ πᾶν δσον εισέρχεται τροφὴν διδὸν τῷ σώματι, τὸ δὲ λόγιν νᾶμα ἔξω ρέον καὶ οὐ πηρετοῦν φρονήσει καλλιστον καὶ ἀρίστων πάντων ναμάτων. (*Timée*, 75, p. 237, éd. F. D.)

20. — Passage du *Sophiste* auquel il est fait allusion : Ζῷα δὴ πάντα θυητὰ καὶ φυτὰ, δσα τ' ἐπὶ γῆς ἐκ σπερμάτων καὶ ριζῶν φύεται καὶ δσα ἀψυχα ἐν γῇ ξυνίσταται σώματα τητὰ καὶ ἀτητα, μῶν ἀλλου.

τινός ή θεοῦ δημιουργοῦντος φήσομεν ὑστερον γίγνεσθαι πρότερον οὐκ ὄντα; ή τῷ τῶν πολλῶν δόγματι καὶ ῥήματι χρώμενοι. (*Sophiste*, 265, p. 200, éd. F. D.)

21. — Πότερον, ὡς Πρώταρχε, τὰ ξύμπαντα καὶ τόδε τὸ καλούμενον δόλον ἐπιτροπεύειν φῶμεν τὴν τοῦ ἀλόγου καὶ εἰκῇ δύναμιν καὶ τὰ δῆμη ἔτυχεν, η τάναντία, καθάπερ οἱ πρόσθεν ήμῶν ἔλεγον, νοῦν καὶ φρόνησιν τινὰ θαυμαστὴν συντάττουσαν διακυβερνᾶν; (*Philebe*, 16, p. 411, éd. F. D.)

22. — Αθ. Περὶ ἑνὸς δὴ ποιησώμεθα λογους; οἵ καὶ ἐπὶ πάντα ήμεν ἀστρα δρμόττοντες φανοῦνται. — Κλ. Τίνας; — Αθ. Ἡλίου πᾶς ἀνθρωπὸς σῶμα μὲν δρᾶ, ψυχὴν δὲ οὐδεὶς· οὐδὲ γάρ ἀλλού σώματος οὐδενὸς οὔτε ζῶντος οὔτε ἀποθνήσκοντος τῶν ζών, ἀλλὰ ἐλπὶς πολλὴ τὸ παράπαν τὸ γένος ήμεν τοῦτο ἀναίσθητον πάσαις ταῖς τοῦ σώματος αἰσθήσεσι περιπερικέναι, νοητὸν δὲ εἶναι· νῷ μόνῳ δὴ καὶ διανοήματι λάθωμεν αὐτοῦ πέρι τὸ τοιόνδε. — Κλ. Ποῖον; — Αθ. Ἡλιον εἰπερ ἄγει ψυχὴ, τριῶν αὐτὴν ἐν λέγοντες δρᾶν σχεδὸν οὐκ ἀποτελέσμεθα. — Κλ. Τίνον; — Αθ. Ως η̄ ἐνοῦσα ἐντὸς τῷ περιφέρει τούτῳ φαινομένῳ σώματι πάντη διακομίζει τὸ τοιοῦτον, καθάπερ ήμεν η παρ' ήμεν ψυχὴ πάντη περιφέρει· η̄ ποθεν ἔξωθεν σῶμα αὕτη πορισμένη πυρὸς η̄ τινός ἀέρος, ὡς λόγος: εστί τινων, ὧδει βιᾳ σώματισθωμα· η̄ τρίτον αὐτὴν ψιλὴ σώματος οὖσα, ἔχουσα δὲ δυνάμεις ἀλλας τινὰς ὑπερβαλλούσας θαύματι ποδηγεῖ. (*Les Lois*, X, 898, p. 451, éd. F. D.)

23 et 24. — Ψυχὴν δὲ εἰς τὸ μέσον αὐτοῦ θεὶς διὰ παντός τε ἔτεινε, καὶ ἔτι ἔξωθεν τὸ σῶμα αὐτῇ περιεκάλυψε ταύτη, καὶ δλον καὶ τέλεον ἐκ τελέων σωμάτων σῶμα εποίησε. (*Timée*, 34, p. 207, éd. F. D.)

25. — Χρεία τις η̄ οὐ ποδῶν· κίνησιν γάρ ἀπένειμεν αὐτῇ τὴν τοῦ σώματος οἰκείαν, τῶν ἐπτὰ τὴν περὶ νοῦν καὶ φρόνησιν μάλιστα οὔσαν. (*Timée*, 33 et 34, p. 207, éd. F. D.)

26. — Δόξα δὴ καὶ ἐπιμέλεια καὶ νοῦς καὶ τέχνη καὶ νόμος σκληρῶν καὶ μαλακῶν καὶ βαρέων καὶ κούφων πρότερον ἀν εἴη, καὶ δὴ καὶ τὰ μεγάλα καὶ πρῶτα ἔργα καὶ πράξεις τέχνης ἀν γίγνοιτο, ὃντα ἐν πρώτοις, τὰ δὲ φύσει καὶ φύσιν, η̄ οὐκ δρθῶς ἐπονομάζουσιν αὐτὸ τοῦτο, ὑστερον καὶ ἀρχόμενα ἀν ἐκ τέχνης εἴη καὶ νοῦ. (*Lois*, X, 892, p. 446, éd. F. D.)

27. — Τρόποι δὲ καὶ η̄θη καὶ βουλήσεις καὶ λογισμοὶ καὶ δόξαι ἀληθεῖς ἐπιμέλειαί τε καὶ μνῆμαι πρότερα μήκους σωμάτων καὶ πλάτους καὶ βάθους καὶ δρώμης εἰη γεγονότα ἀν, εἰπερ καὶ ψυχὴ σώματος..... Αγει μὲν δὴ ψυχὴ πάντα τὰ κατ' οὐρανὸν καὶ γῆν καὶ θάλατταν ταῖς αὐτῆς κινήσειν, αἵδις ὀνόματα ἔστι βούλεσθαι, σκοπεῖσθαι, ἐπιμελεῖσθαι, βουλεύεσθαι, δοξάζειν δρθῶς, ἐψευσμένως, χαίρουσαν, λυπουμένην, θαρροῦσαν, φοβουμένην, μισοῦσαν, στέργουσαν, καὶ πάσαις δσαι τούτων ἔγγενεις η̄ πρωτουργὸι κινήσεις τὰς δευτερουργοὺς αῦ παραλαμβάνουσαι κινήσεις σωμάτων ἄγουσι πάντα εἰς αὐξησιν καὶ φύσιν. (*Les Lois*, X, 896 et 897, p. 450, éd. F. D.)

28. — Νοῦς ἔστι γένους τοῦ πάντων αἰτίου λεχθέντος τῶν τεττάρων. (*Philebe*, 30, p. 413, éd. F. D.)

29. — Τὸ δὲ νοῦν πάντα διακοσμεῖν αὐτὰ φάναι καὶ τῆς ὄψεως τοῦ κόσμου καὶ ἥλιου καὶ σελήνης καὶ ἀστέρων καὶ πάσης τῆς περιφορᾶς ἀξιῶν, καὶ οὐκ ἀλλως ἔγωγ' ἀν ποτε περὶ αὐτῶν εἰπόμει οὐδὲ ἀν δοξάσαιμι. (*Philebe*, 28, p. 411, éd. F. D.)

30. — Παντὶ δὴ σαφὲς, θτι πρὸς τὸ ἀτίον· δὲ μὲν γάρ καλλιστος τῶν γεγονότων, δὲ δράστος τῶν αἰτίων· οὐτω δὴ γεγενημένος πρὸς τὸ λόγῳ καὶ φρονήσει περιληπτὸν καὶ κατὰ ταῦτα ἔχον δεδημιούργηται· τούτων δὲ ὑπαρχόντων αῦ πᾶσα ἀνάγκη τόνδε τὸν κόσμον εἰκόνα τινὸς εἶναι. (*Timée*, 29, p. 204, éd. F. D.)

31. — Τὰ μὲν εἰδὴ ταῦθ' ὥσπερ παραδείγματα ἔστάναι ἐν τῇ φύσει, τὰ δὲ ἀλλα τούτοις ἐοικέναι καὶ εἶναι δμοιώματα· καὶ η̄ μέθεξις αὕτη τοῖς ἀλλοις γίγνεσθαι τῶν εἰδῶν οὐκ ἀλλη τις η̄ εἰκασθῆναι αὐτοῖς. (*Par-ménide*, VI, p. 630, éd. F. D.)

32. — Καὶ εἴμι πάλιν ἐπ' ἐκεῖνα τὰ πολυθρύλητα καὶ ἀρχομαι ἀπ' ἐκείνων, ὑποθέμενος εἶναι τι καλὸν αὐτὸ καθ' αὐτὸ καὶ ἀγαθὸν καὶ μέγα καὶ τάλλα πάντα. (*Phédon*, 48, p. 78, éd. F. D.)

33. — Ἄλλ' οὐδὲν τάχ' ἀν ἵσως εἰη γαλεπὸν ἐνδείξασθαι τοῦτο, ὡς ἐπιμελεῖς σμικρῶν εἰσὶ θεοὶ οὐχ ἄγτον, η̄ τῶν μεγέθει διαφερόντων· ήκουε γάρ που καὶ παρῆν τοῖς νῦν δὴ λεγομένοις, ὡς ἀγαθοὶ γε ὅντες πᾶσαν ἀρετὴν τὴν τῶν πάντων ἐπιμέλειαν οἰκειοτάτην αὐτῶν οὔσαν κέκτηνται. (*Les Lois*, X, p. 452 et 453, éd. F. D.)

34. — Μὴ τοίνυν τὸν γε θεὸν ἀξιώσωμέν ποτε θυητῶν δημιουργῶν φαυλότερον, οὐ τὰ προσήκοντα αὐτοῖς ἔργα δσωπερ ἀν ἀμείνους ὥσι, τόσῳ ἀκριβέστερα καὶ τελεύτερα καὶ μιᾶς τέχνης σμικρά καὶ μεγάλα ἀπεργάζονται· τὸν δὲ θεὸν ὄντα τε σοφώτατον βουλόμενόν τ' ἐπιμελεῖσθαι καὶ δυνάμενον, ὃν μὲν ῥῶν ἦν ἐπιμεληθῆναι σμικρῶν ὅντων, μηδαμῆ ἐπιμελεῖσθαι καθάπερ ἄργον ή δειλόν τινα διὰ πόνους ῥαθυμοῦντα, τὸν δὲ μεγάλων. (*Les Lois*, X, p. 454, éd. F. D.)

35. — Πείθωμεν τὸν νεανίαν τοῖς λόγοις, ὡς τῷ τοῦ παντὸς ἐπιμελουμένῳ πρὸς τὴν σωτηρίαν καὶ ἀρετὴν τοῦ ὅλου πάντος ἐστὶ συντεταγμένα, ὃν καὶ τὸ μέρος εἰς δύναμιν ἔκαστον τὸ προσῆκον πάσχει καὶ ποιεῖ· τούτοις δ' εἰσὶν ἀρχοντες προστεταγμένοι ἔκαστοις ἐπὶ τὸ σμικρότατον ἢ εἰ πάθης καὶ πράξεως, εἰς μερισμὸν τὸν ἔσχατον τέλος ἀπειργασμένοι· ὃν ἐν καὶ τὸ σὸν, ὡς σχέτλει, μόριον εἰς τὸ πᾶν ξυντείνει βλέπον ἀεὶ, καίπερ πάνομικρον ὃν· σὲ δὲ λέληθε περὶ τοῦτο αὐτὸν, ὡς γένεσις ἔνεκα ἔκεινον γίγνεται πᾶσα, ὅπως η̄ ή τῷ τοῦ παντὸς βίᾳ ὑπάρχουσα εὐδαιμόνια οὐσία, οὐχ ἔνεκα σοῦ γιγνομένη, σὺ δ' ἔνεκα ἔκεινον· πᾶς γὰρ ιατρὸς καὶ πᾶς ἔντεχνος δημιουργὸς παντὸς μὲν ἔνεκα πάντα ἐργάζεται, πρὸς τὸ κοινῇ ξυντείνον βέλτιστον, μέρος μήν ἔνεκα ὅλου καὶ οὐχ ὅλου μέρους ἔνεκα ἀπεργάζεται· σὺ δὲ ἀγανακτεῖς σύγνοιν, δηπή τὸ περὶ σὲ ἀριστον τῷ παντὶ ξυμβαίνει καὶ σοὶ κατὰ δύναμιν τὴν τῆς κοινῆς γενέσεως. (*Les Lois*, X, p. 455, éd. F. D.)

36. — Μεταβάλλει μὲν τοίνυν πάνθ' δσα μέτοχά ἐστι ψυχῆς, ἐν ἑαυτοῖς κεκτημένα τὴν τῆς μεταβολῆς αἰτίαν· μεταβάλλοντα δὲ φέρεται κατὰ τὴν τῆς εἰμαρμένης τάξιν καὶ νόμον. (*Les Lois*, X, p. 455, éd. F. D.)

DE FINE

LOCA E PLOTINO EXCERPTA

1. — Εἴτε ἐν εὐπαθείᾳ τὴν εὐζωίαν τις θήσεται, εἴτε ἐν ἔργῳ οἰκείῳ τελειουμένῳ, κατ' ἄμφῳ καὶ τοῖς ἄλλοις ζώοις οὐπάρξει. Καὶ γὰρ εὐπαθεῖς ἐνδέχοντο ἀν., καὶ ἐν τῷ κατὰ φύσιν ἔργῳ εἶναι· οἷον καὶ τὰ μουσικὰ τῶν ζώων, δσα τοῖς τε ἄλλοις εὐπαθεῖ καὶ δὴ καὶ ἄδοντα η̄ πέψυκε, καὶ ταύτῃ αἱρέτην αὐτοῖς τὴν ζωὴν ἔχει. Καὶ εἰ τέλος τι τὸ εὐδαιμονεῖν τιθέμεθα, ὅπερ ἐστὶν ἔσχατον τῆς ἐν φύσει δρέξεως, καὶ ταύτῃ ἀν αὐτοῖς μεταδόημεν τοῦ εὐδαιμονεῖν..... Οἷον ἐστι καὶ ἐπὶ φυτῶν εῦ παθεῖν, καὶ παρπὸν αὖ φέρειν καὶ μὴ φέρειν. Εἰ μὲν οὖν ηδονὴ τὸ τέλος, καὶ ἐν τούτῳ τὸ εῦ ζῆν, ἀτοπος δ ἀφαιρούμενος τὸ ἄλλα ζῆσα τὸ εῦ ζῆν· καὶ εἰ ἀταραξία δὲ εἴη, ὡσαύτως· καὶ εἰ τὸ κατὰ φύσιν ζῆν λέγοιτο τὸ εῦ ζῆν εἶναι. (1^o *Ennéade*, IV, § 1^o, p. 16, édition Firmin Didot.)

2. — Χωλεύει γὰρ η̄ ζωὴ τῷ φαύλῳ, ὥσπερ δύματι μὴ καθαρῶς δρῶντι· οὐ γὰρ ποιεῖ τὸ ἔργον αὐτοῦ. (1^o *Ennéade*, VII, § 3, p. 39, édition Firmin Didot.)

3. — “Ωστε ἐν ἐκ πάντων ἄλλως ἔκατέρως γιγνομένων, καὶ ἄλλως αὖ ἐν τοῖς λόγοις.” (2^o *Enn.*, III, § 16, p. 70, éd. F. D.)

4. — ‘Αλλ' οἱ κλήροι τίνες; η̄ τοῦ παντὸς ἔχοντος οὔτως, ὡς τότε εἴχεν, δτε εἰσήσεσαν εἰς τὸ σῶμα γενέσθαι, καὶ τὸ εἰσελθεῖν εἰς τόδε τὸ σῶμα, καὶ τῶνδε τῶν γονέων, καὶ ἐν τοιούτοις τόποις γίγνεσθαι, καὶ θλως ὡς εἰπομεν τὰ ἔξω. (2^o *Enn.*, III, § 15, p. 68, éd. F. D.)

5. — Τῆς φυσικῆς δυνάμεως καὶ γεννητικῆς λεγομένης (ἔστι) τὸ πυεῖν, εἰ τοῦτο ποιήσει τὸ ἡγουμένον τῆς ψυχῆς τῷ τρέφειν τὴν ἔνυλον καὶ γεννητικὴν ψυχήν. (2^o Enn., III, § 17, p. 70, éd. F. D.)

6. — Σώμασι μὲν οὖν ἐπιτρέψαι τὰ πάντα, εἴτε ἀτόμοις εἴτε τοῖς στοιχείοις καλουμένοις, καὶ τῇ ἐκ τούτων ἀτάκτῳ φορῇ, ταξιν καὶ λόγον καὶ ψυχὴν τὴν ἡγουμένην γεννᾶν, ἀμφοτέρως μὲν ἀτοπον καὶ ἀδύνατον. (3^o Enn., I, § 3, p. 112, éd. F. D.)

7. — Αδυνατώτερον δὲ, εἰ οἷόν τε λέγειν, τὸ ἐξ ἀτόμων. (*Eodem loco.*)

8. — Μετατίθεται τοίνυν τὰ μετατιθέμενα, οὐκ εἰκῇ μετατιθέμενα, οὐδὲ ἄλλα σγήματα μεταλαμβάνοντα· ἀλλ’ ὡς καλὸν, καὶ ὡς πρέποι ἀν δυνάμεις θείαις ποιεῖν. (3^o Enn., II, § 13, p. 127, éd. F. D.)

9. — Πάντες δὲ πρὸς τὸ δλον σύμφοροι· ὥστε πρὸς ἀλλήλους οὔτως, ὡς τῷ δλῷ συμφέρει· ὡς ἐφ’ ἐνὸς ζώου ἔκαστα τῶν μερῶν δρᾶται. Τούτου γάριν μάλιστα, οἷον χολὴ καὶ τῷ δλῷ καὶ πρὸς τὸ ἐγγύς· καὶ γάρ ἔδει καὶ θυμὸν ἐγείρειν, καὶ τὸ πᾶν καὶ τὸ πλησίον μὴ ἐχειν διερίζειν. (2^o Enn., III, § 5, p. 63, éd. F. D.)

10. — Ὁφθαλμῷ τοῦτο, δακτύλῳ δὲ ἄλλῳ· τὸ εἶναι, οἷμα, δακτύλῳ, καὶ τὸ αὐτοῦ ἔχειν. (3^o Enn., II, § 3, p. 120, éd. F. D.)

11. — Καὶ ὡς ὁ φθόγγος καὶ τὸ σγήμα παρ’ αὐτοῦ καλὸν ἢ αἰσχρὸν, καὶ ἡ κόσμον προσέθηκεν, ὡς δόξειν ἀν, εἰς τὸ ποίημα, ἡ προσθεῖς τὴν αὐτοῦ τῆς φωνῆς κάκην οὐκ ἐποίησε μὲν τὸ δρᾶμα ἔτερον, ἢ οἷον ἦν, αὐτὸς δὲ ἀσγήμων ἐφάνη. (3^o Enn., II, § 17, p. 131, éd. F. D.)

12. — Παντὸς δὴ ζώου τὸ μὲν ἄνω, πρόσωπα καὶ κεφαλὴ, καλλίω. (3^o Enn., II, § 8, p. 123, éd. F. D.)

13. — Τὸ δλον τοῦτο καλὸν, οὐκ εἰ λίθος εἶη ἔκαστος, ἀλλ’ εἰ τὸν φθόγγον τὸν αὐτοῦ εἰσφερόμενος συντελοῖ εἰς μίαν ἀρμονίαν. (3^o Enn., II, § 17, p. 131, éd. F. D.)

14. — Καὶ τὰ μὲν αὐτοῖς συνήνεγκε τοῖς παθοῦσιν, οἷον πενία καὶ νόσος ἡ δὲ κακία εἰργάσατο τι χρήσιμον εἰς τὸ δλον, παράδειγμα δίκης γενομένη καὶ πολλά ἐξ αὐτῆς χρήσιμα παρασχομένη· καὶ γάρ ἐγρηγορότας ἐποίησε, καὶ νοῦν καὶ σύνεσιν ἐγέιρει. (3^o Enn., II, § 5, p. 122, éd. F. D.)

15. — Καὶ γάρ χρείαν τὰ πολλὰ αὐτῶν ἡ καὶ πάντα παρέχεται τῷ δλῷ, οἷα τὰ τῶν ιοβόλων ή κακία κινεῖ εἰς φρόνησιν, μὴ ἐῶσα ἐπ’ ἀδείας εὔδειν..... Εἰκότως οὖν λέγεται αὗτος ὁ κόσμος εἰκὼν, δεὶ εἰκονιζόμενος. (2^o Enn., III, § 18, p. 70 et 71, éd. F. D.)

16. — Καὶ οὐ γέγονε τὰ κακὰ διὰ ταῦτα, ἀλλὰ ὅτι χρῆται καὶ αὐτοῖς εἰς δέον, ἐπειπερ ἐγένετο, εἰρηται· τοῦτο δὲ δυνάμεως μεγίστης καλῶς καὶ τοῖς κακοῖς χρῆσθαι δύνασθαι. (3^o Enn., II, § 5, p. 122, éd. F. D.)

17. — Οὐ γάρ δὴ οὕτω τὴν πρόνοιαν εἶναι δεῖ, ὥστε μηδὲν ἡμᾶς εἶναι· πάντα δὲ οὔσης προνοίας καὶ μόνης αὐτῆς, οὐδὲ ἀν εἴη. Τίνος γάρ ἀν ἔτι εἴη; ἀλλὰ μόνον ἀν εἴη τὸ θεῖον. (3^o Enn., II, § 9, p. 124 et 125, éd. F. D.)

18. — Καὶ γάρ εἰ ἐγὼ κύριος τοῦ τάδε ἐλέσθαι· ἡ τάδε, ἀλλὰ αἰρέσει συντέταχται ὅτι μὴ ἐπεισόδιον τὸ σὸν τῷ παντὶ, ἀλλ’ ἡρίθμησαι ὁ τοιόσδε. (3^o Enn., III, § 3, p. 134, éd. F. D.)

19. — Τὸ γάρ ἐνταῦθα καὶ ἐν τούτοις ἔκπτωσις καὶ φυγὴ καὶ πτεροφύτησις. (6^o Enn., IX, § 9, p. 537, éd. F. D.)

20. — Μία τις ψυχὴ διὰ παντὸς διήκουσα περαίνει τὰ πάντα, ἔκάστου ταύτη κινουμένου ὡς μέρους ἡ τὸ δλον ἄγει. (3^o Enn., I, § 4, p. 113, éd. F. D.)

21. — Αοιπὸν δὲ ίδειν τὴν ἐπιπλέκουσαν καὶ οἷον συνείρουσαν ἀλλήλοις πάντα, καὶ τὸ πῶς ἐφ’ ἔκάστου ἐπιφέρουσαν, ἀρχὴν τιθεμένην μίαν, ἀφ’ ἧς πάντα κατὰ λόγους σπερματικοὺς περαίνεται. (3^o Enn., I, § 7, p. 115, éd. F. D.)

22. — Ψυχὴν δὴ δεῖ ἀρχὴν οὖσαν ἀλλην, ἐπεισφέροντας εἰς τὰ ὄντα, οὐ μόνον τὴν τοῦ παντὸς, ἀλλὰ καὶ τὴν ἔκάστου μετὰ ταύτης, ὡς ἀρχῆς οὐ σμιχρᾶς οὔσης, πλέκειν τὰ πάντα, οὐ γιγνομένης καὶ αὐτῆς ὥσπερ τὰ ἄλλα ἐκ σπερμάτων, ἀλλὰ πρωτουργοῦ αἵτιας οὔσης. (3^o Enn., I, § 8, p. 116, éd. F. D.)

23. — Λέγοιμεν κατὰ νοῦν τὸν κόσμον εἶναι, καὶ νοῦν πρὸ αὐτοῦ εἶναι, οὐχ ὡς χρόνῳ πρότερον ὄντα, ἀλλ’ ὅτι παρὰ νοῦ ἐστι· καὶ φύσει πρότερος ἐκεῖνος, καὶ αἴτιος τούτου, ἀρχέτυπον οἷον καὶ παράδειγμα εἰκόνος τούτου ὄντος, καὶ δι’ ἐκεῖνον ὄντος, καὶ ὑποστάντος δεὶ τὸνδε τρόπον. (3^o Enn., II, § 1^{er}, p. 118, éd. F. D.)

24. — Πᾶν αὐτῶν φίλον, οὐ χωρισθὲν ἄλλο ἀπ' ἄλλου, οὐδὲ ἔτερον γεγενημένον μόνον, καὶ τῶν ἄλλων ἀπεξενωμένον· θέντεν οὐδὲ ἀδικεῖ ἄλλο ἄλλο, οὐδὲ ἂν ἦ ἐναντίον. (*Eodem loco.*)

25. — Ψυχῆς δῆ τὸ πᾶν τὸδε διοικούσης κατὰ λόγον, οἷα δὴ καὶ εφ' ἑκάστου ζώου ἡ ἐν αὐτῷ ἀρχὴ. (2^o *Enn.*, III, § 13, p. 67, éd. F. D.)

26. — Σώματος κακῶς συντεθέντος, ἐμπόδιον τὴν εἰς αὐτὸν ἐνέργειαν δι' αὐτὸν ποιῆσαι· οἶον οὐτως ἀρμοσθείσης λύρας, ὡς δέξασθαι τὸ ἀκριβές ὅρμονίας εἰς τὸ μουσικὸν ἀποτελεῖν τοὺς φθόγγους. (*Eodem loco.*)

27. — Ἐν λόγῳ τῷ ἐν τῷ σπέρματι διμοῦ πάντων καὶ ἐν τῷ αὐτῷ δύντων, καὶ οὐδενὸς οὐδὲν μαχομένου οὐδὲ διαφερομένου οὐδὲ ἐμπόδιου δύντος, γίγνεται τι ἡδη ἐν ὄγκῳ, καὶ ἄλλο μέρος ἀλλαχοῦ· καὶ δὴ καὶ ἐμποδίσειν ἀν ἔτερον ἐτέρῳ, καὶ ἀπαναλώσειν ἄλλο ἄλλο. (3^o *Enn.*, II, § 11, p. 119, éd. F. D.)

28. — Μεστὰ δὲ πάντα σημείων, καὶ σοφός τις δι μαθὼν ἐξ ἄλλου ἄλλο. Πολλὰ δὲ ἡδη ἐν συνηθείᾳ γιγνόμενα γινώσκεται πᾶσι. (2^o *Enn.*, III, § 7, p. 64, éd. F. D.)

29. — Ἐτι δὲ καὶ ἐκ τῶνδε ἀκριβέστερον ἀν τις ἐπισκέψαίτο περὶ τούτων· ἀ τις ἀν ἰδών εἰς τὴν τῶν ἀστρων σχέσιν, ἢ εἰχον, δτε ἐκαστος ἐγίγνετο, προείποι, ταῦτα φρστ καὶ γίγνεσθαι παρ' αὐτῶν, οὐ σημαινόντων μόνον, ἀλλὰ καὶ ποιούντων. (3^o *Enn.*, I, § 5, p. 114, éd. F. D.)

30. — Ἐγει τοίνυν ἡ διάταξις οὕτω κατὰ νοῦν, ὡς ἀνευ λογισμοῦ εἶναι. (3^o *Enn.*, II, § 14, p. 127, éd. F. D.)

31. — Οὕτω δὲ εἶναι, ὡς εἰ τις ἀριστα δύναιτο λογισμῷ χρῆσθαι, θυμάσαι, δτι μὴ ἀν ἄλλως εὑρε λογισμὸς ποιῆσαι, δποίον τι γιγνώσκεται καὶ ἐν ταῖς καθ' ἔκαστα φύσεις γιγνόμενον, εἰς ἀει· νοερωτερον, ἢ κατὰ λογισμοῦ διάταξιν. (*Eodem loco.*)

32. — Πότερα δὲ οἱ λόγοι οὗτοι οἱ ἐν ψυχῇ νοήματα; δ γὰρ λόγος ἐν ὄλῃ ποιεῖ, καὶ τὸ ποιοῦν φυσικῶς, οὐ νόησις οὐδὲ δραστις, ἀλλὰ δύναμις τρεπτικὴ τῆς ὄλης, οὐκ εἰδυῖα, ἀλλὰ δρῶσα μόνον, οἶον τύπον καὶ σχῆμα ἐν δύαται, δισπερ κύκλος. (2^o *Enn.*, III, § 17, p. 70, éd. F. D.)

33. — Α δὴ παραδοῦσα ἢ προϊδοῦσα ἡ ψυχὴ ἐπὶ τούτοις τὰ ἀφεζῆς

περαίνει καὶ συνείρει προηγούμενα οὖν καὶ ἐπακολουθοῦντα πάντως, καὶ πάλιν ἐπὶ τούτοις τὰ ἀφεζῆς προηγούμενα, ὡς ἐκ τῶν παρόντων. (2^o *Enn.*, III, § 16, p. 69, éd. F. D.)

34. — Τῆς ἐνεργείας, τῆς κατὰ τὴν ζωὴν, μορφοῦ δυναμένης καὶ κινούστης οὕτως ὡς μορφοῦ, ἡ τούτων ἐνέργεια αὐτῆς τεχνική, ὥσπερ ἀν δ δροχούμενος κινούμενος εἴτε· δ γὰρ δργηστής τῇ οὕτῳ τεχνικῇ ζωῆς ἔστιν αὐτὸς, καὶ ἡ τέγην αὐτὸν κινεῖ, καὶ οὕτω κινεῖ, ὡς τῆς ζωῆς αὐτῆς τοιαύτης πως οὖσης. (3^o *Enn.*, II, § 16, p. 129, éd. F. D.)

35. — Οτι μὲν οὕτω χειρες ἐνταῦθα, οὔτε πόδες, οὔτε τι ὅργανον ἐπακτὸν ἢ σύμφυτον, ὄλης δὲ δεῖ ἐφ' ἣς ποιήσει, καὶ ἦν ἐν εἰδει ποιεῖ, παντὶ που δῆλον. Δεῖ δὲ καὶ τὸ μοιχεύειν ἀφελεῖν ἐκ τῆς φυσικῆς ποιήσεως. (3^o *Enn.*, VIII, § 1^o, p. 181, éd. F. D.)

36. — Οι κηροπλάσται ἢ κοροπλάσται, εἰς οὓς δὴ καὶ βλέποντες φήθησαν τὴν τῆς φύσεως δημιουργίαν τοιαύτην εἶναι, χρώματα δύνανται ποιεῖν, μὴ χρώματα ἀλλαχθέν επάγοντες οἵς ποιοῦσιν... μένειν δεῖ καὶ ἐνταῦθα τὴν δύναμιν, τὴν οὐ διὰ χειρῶν ποιοῦσαν. (*Eodem loco.*)

37. — Οὐ γὰρ πῦρ δεῖ προσελθεῖν, ἵνα πῦρ ἡ ὄλη γένηται, ἀλλὰ λόγον· δ καὶ σημεῖον οὐ μικρὸν τοῦ ἐν τοῖς ζώοις καὶ ἐν τοῖς φυτοῖς τοὺς λόγους εἶναι τοὺς ποιοῦντας. (3^o *Enn.*, VIII, § 1^o, p. 182, éd. F. D.)

38. — Ἐγρῆν μὲν μὴ ἐρωτᾶν (ἔφη φύσις), ἀλλὰ συνιέναι καὶ αὐτὸν σιωπή, δισπερ ἐγώ σιωπῶ, καὶ οὐκ εἰθισμαι λέγειν. (3^o *Enn.*, VIII, § 3, p. 182, éd. F. D.)

39. — Ἐπει καὶ, δταν τὰ ζῶα γεννᾷ, οἱ λόγοι ἔνδον ὄντες κινοῦσι· καὶ ἐστιν ἐνέργεια θεωρίας τούτο· ... τὸ γὰρ ποιεῖν εἶναι τι, εἰδος ἐστι ποιεῖν. (3^o *Enn.*, VIII, § 6, p. 185, éd. F. D.)

40. — Καὶ οἱ ἐρῶντες δὲ ἰδόντων καὶ πρὸς εἶδος σπευδόντων. (*Eodem loco, ad finem.*)

41. — Τῆς δὲ θεωρίας ἀναβαίνοντος ἐκ τῆς φύσεως ἐπὶ τὴν ψυχὴν, καὶ ἀπὸ ταύτης εἰς νοῦν. (3^o *Enn.*, VIII, § 7, p. 186, éd. F. D.)

42. — Πρόεισι μέν δὴ ἐκαστον ἀπὸ μιᾶς τὸ αὐτοῦ πράττον, συμβάλλει δὲ ἄλλῳ ἄλλο. (2^o *Enn.*, III, § 7, p. 64, éd. F. D.)

43. — Αὐτῇ δὲ ἡ ἀφεζῆς πρὸς τὸ κρείττον αὐτῆς, οὐκ ἐγγενομένου ἀπο-

πεπλήρωται καὶ ἔστη, καὶ οὗτος δὲ βουλητὸς ὅντως βίος. (1^o *Enn.*, IV, § 6, p. 20, éd. F. D.)

44. — Ὁρθῶς γάρ καὶ Πλάτων ἔκειθεν (ἀνωθεν) τὸ ἀγαθὸν αξιοῦ λαμβάνειν, καὶ πρὸς ἔκεινο βλέπειν τὸν μέλλοντα σφὸν καὶ εὐδαίμονα ἔσεσθαι καὶ ἔκεινο δμοιοῦσθαι καὶ κατ' ἔκεινο ζῆν. Τοῦτο οὖν δεῖ ἔχειν μόνον πρὸς τὸ τέλος. (1^o *Enn.*, IV, § 16, p. 25, éd. F. D.)

45. — Τίς ἔτερον εἴποι ἀγαθὸν ἔκαστω εἶναι, η τὴν κατὰ φύσιν τῆς ζωῆς ἐνέργειαν; (1^o *Enn.*, VII, § 1^{er}, p. 38, éd. F. D.)

46. — Εἶναι ἐν αὐτῷ ἐνέργειαν, οἰκείαν καὶ κατὰ φύσιν ἀεὶ, μηδὲν ἐλλείπουσαν. (*Eodem loco.*)

47. — Ἐστι δὲ τὸ ἀγαθὸν τοῦτο, εἰς ὃ πάντα ἀνήρτηται, καὶ οὗ πάντα τὰ ὄντα ἐφίεται, ἀρχὴν ἔχοντα αὐτὸν κάκείνου δεόμενα. Τὸ δὲ ἔστιν ἀνενδεές, ἵκανὸν ἑαυτῷ, μηδενὸς δεόμενον, μέτρον πάντων καὶ πέρας, δοὺς ἐξ αὐτοῦ νοῦν καὶ οὐσίαν καὶ ψυχὴν καὶ ζωὴν καὶ περὶ νοῦν ἐνέργειαν. (1^o *Enn.*, VIII, § 2, p. 40, éd. F. D.)

48. — Ἐπεὶ οὐδὲν ἔκεινον ἀποθλητέον τὸν λόγον, δις οὐ πρὸς τὸ παρὸν ἔκαστοτέ φησι βλέπειν δεῖν, ἀλλὰ πρὸς τὰς πρόσθειν περιόδους, καὶ αὖ τὸ μέλλον, ὥστε ἔκειθεν τάττειν τὴν ἀξίαν. (3^o *Enn.*, II, § 13, p. 126, éd. F. D.)

49. — Καὶ εἰ κακῶς ἔχρησαντο πλούτῳ, πένητας καὶ βιασάμενος γυναικα, ἔσται ἵνα βιασθῇ. (3^o *Enn.*, II, § 13, p. 126 et 127, éd. F. D.)

50. — Κύσμον θεωρῶν τάχ' ἀν ἀκούσαις παρ' αὐτοῦ, δις Ἐμὲ πεποίηκε θεὸς, καγὼ ἔκειθεν ἐγενόμην τέλειος ἐκ πάντων ζώων, καὶ ἵκανὸς ἑμαυτῷ καὶ αὐτάρκης, οὐδενὸς δεόμενος, διτὶ πάντα ἐν ἐμοὶ, καὶ φυτὰ καὶ ζῶα, καὶ συμπάντων τῶν γεννητῶν φύσις, καὶ θεοὶ πολλοὶ, καὶ ψυχαὶ ἀγαθαὶ, καὶ ἀνθρώποι ἀρετῇ εὐδαίμονες. . . Πάντα δὲ τὰ ἐν ἐμοὶ ἐφίεται μὲν τοῦ ἀγαθοῦ, τυγχάνει δὲ κατὰ δύναμιν τὴν ἑαυτῶν ἔκαστα· ἔξηρτηται γάρ πᾶς μὲν οὐρανὸς ἔκεινον. (3^o *Enn.*, II, § 3, p. 120, éd. F. D.)

VIDI AC PERLEGI.

Divione, 1 december 1879.

Facultatis litterarum Decanus

H. JOLY.

TYPIS MANDETUR.

Divisionensis Academiae Rector,

J. VIEILLE.

ERRATA

Page 37, 5^e ligne, virgule après segregatum..

- 39, dernière ligne, au lieu de : noscitur, lisez : nascitur.
- 46, 7^e et 9^e lignes, au lieu de : progreditur, lisez : progredi; au lieu de : conducunt, lisez : con-ducere.
- 58, 6^e ligne, au lieu de : substantialem, lisez : ma-terialem.
- 74, 4^e ligne, au lieu de : secunda, lisez : tertia.
- 82, 7^e ligne, au lieu de : μητὰ, lisez : μετὰ.
- 84, avant-dernière ligne, au lieu de : φύσιν, lisez : φύσις.
- 86, 13^e ligne, au lieu de : ξυντέλεις, lisez : ξυντελεῖ.